DE
PARABASEOS PARTIBUS
ET ORIGINE

AD DOCTORIS GRADUM PROMOUENDUS

DISSERUIT

J. COMBARIEU

PARIS
THORIN & FILS, Éditeurs.
7, Rue Médicis, 7
—
1894

DE PARABASEOS PARTIBUS

ET ORIGINE

DE

PARABASEOS PARTIBUS

ET ORIGINE

AD DOCTORIS GRADUM PROMOUENDUS

DISSERUIT

J. COMBARIEU

PARIS
THORIN & FILS, Éditeurs.
7, Rue Médicis, 7

1894

FRATRIBUS CARISSIMIS

Litterarum amantibus

Et in musicorum arte peritissimis

A. COMBARIEU

ET

A. LEMOINE

HOC OPUSCULUM

D. D.

SCRIPTA AD PARABASIM

AUT CHORUM ARISTOPHANEUM PERTINENTIA

KOLSTER. — *De parabasi ueteris comœdiæ atticæ parte antiquissima* (1829).

KŒSTER. — *De Græcæ comœdiæ parabasi* (Schulprogr. zu Stralsund, 1835).

KOCK. — *De parabasi antiquæ comœdiæ Atticæ interludio* (Anclam, 1856).

HORNUNG. — *Commentationis de partibus græcarum comœdiarum particula* (Berlin, 1861).

GENZ. — *De parabasi* (Berlin, 1865).

AGTHE. — *Die parabase und die Zwischenakte der Altattischen Comœdie* (Altona, 1865).

* * *

Fr. STEINBRÜCK. — Aristophanis *Acharnensium* parabasim commentario critico atque exegetico illustrauit, in-4°, Stargard, 1865.

C. REHDANZ. — De parabasi in Aristophanis *Acharnensibus* commentatio, 4° Magdeburg, 1862.

Rob. ENGER, — Ueber die Parabase der *Wolken* der Aristophanes. Progr. 4°, 1853.

Gdfr. HERMANN. — De choro *Uesparum* Aristophanis dissert. progr. 4°, Lipsiæ, 1843.

ROSSIGNOL. — Mémoire sur le chœur des *Grenouilles* (Revue archéol. X, 2, 1854, p. 455-466.

F. V. FRITZSCHE. — De parabasi *Thesmophoriazusarum* commentatio. Progr. Acad. Rostochii, 1836.

Rob. Enger. — Zu Aristophanes: Wer recitirte das Epirrhema? 1856.

Paul Weyland. — Ueber das Epirrhema in den *Wolken* des Aristophanes (Philologus, uol. 36, 1877, p. 73-82).

Rich. Arnoldt. — De choro Aristophanis quæstiones scænicæ, dissert. inaug. 8°, Regimonti, 1868.

— — Scenische untersuchungen über den Chor bei Aristophanes, Gymnas. progr. 4° Elbing, 1871.

— — Die Chorpartien bei Aristophanes. 8°, Leipzig, 1873.

— — Uber das auftreten der einzelnen Choreuten bei Aristophanes, in *Iahrb. für class. Phil.* uol. 105, 1872, p. 343-352.

F. L. Marcou. — De Choro et carmine lyrico apud Aristophanem, Parisiis, 1859.

Muff. — Ueber den Vortrag der chorischen Partien bei Aristophanes. 8°, Halle, 1871.

— — Der Chor in der griechischen Comödie vor Aristophanes, 1871.

Ziélinski. — Die Gliederung der Altattischen Comödie. Leipzig, 1865.

INDEX RERUM

PROŒMIUM

Quum multæ res in Atticorum antiqua comœdia nequaquam satis nobis in aperto sint, tum dubia prorsus, quamuis non semel indicta causa, pendet adhuc quaestio, quibus scilicet ab initiis profecta sit, quo temporum ordine aucta ad formam illam absolutam peruenerit, et quem locum in totius fabulæ contextu, non sero occupatum, sed iure proprium et antiquitus assignatum obtinuerit parabasis. Quam disputationem expedire uariis e causis arduum est. Quis est enim adeo sibi fidens, ut comici theatri mutationes referre et in uastiorem illam originum altitudinem sine uerecundia incedere audeat, quum eiusdem historiæ pæne ignarum se profiteatur Aristoteles? nomen ipsum parabaseos non minimam uenit in contentionem, quum ab Aristophane aut eius æqualibus nunquam usurpatum fuerit ut id quod sub eo intelligimus significaret et e recentiorum officina, ut tot alia, prolatum esse uideatur. Num ueteres grammaticos, in lubrico loco, duces habebimus? Quisquis eis nimis confidat in reprehensionem profecto incurrat illius doctissimi scriptoris, qui de attica comœdia eiusque partitionibus luculentum nuper edidit

librum (1), et scholiastas « anonymos que » temporum rationem non habentes et eo rei litterariæ, qui altior est, intellectu destitutos, e primo auctoritatis gradu extrusit. Quisquilias illas tironibus relinquens et ipsius, mehercule, dei quibusdam stimulis incitatus, elegantissimus ille syllabarum auceps et computator in intima comœdiæ aristophaneæ quasi uiscera descendit, atque inde ueram doctrinam aut retulit aut retulisse putat. Liber enim ille in quo mihi plurima fidem, nonnulla tædium, omnia mihi admirationem mouent, dubium facit uter in tali studio magis decipi et in errorem impelli possit : illius qui græcum aliquem poetam primoribus tantum labris attigerit, an eius qui eumdem penitus hauserit. Parabasim enim uix nauci aut teruncii faciendam esse arbitratur Zielinskius ; eius dignitatem et grauitatem, toties iactatam, nullam esse ; nomen ipsum pæne iniuria retinendum. — Adde nos Aristophanis non integras comœdias, sed partes tantum, ut quibusdam non temere placuit, quasi eclogarias in manibus habere, mutilaque in exstantibus fabulis esse quædam et quasi decurtata ita ut subintelligantur quibus tanquam debito fraudetur legentis animus : concedes difficillimum esse *Ranarum* scriptorem et cum interprete et sine interprete legere. Quare mihi opusculum hoc aggredienti sæpius occurrere, ut oleum perdituro, illa Euelpidis verba :

τί ὦ πονήρ', ἄνω κάτω πλανύττομεν ;
ἀπολούμεθ' ἄλλως τὴν ὁδὸν προφερομένω.

(1) Zielinskius, uid. supra).

iter tamen, quanquam inter confragosa, instituendum, quum ipsam ex omni caligine eruere ueritatem extra spem meam maneat, et, quod attinet ad anapæstos, nihil aliud uelim quam prudentissimorum hominum opinionem in bono lumine collocare, novisque, ni fallor, quibusdam argumentis confirmare et adornare. Non unius libri aut unius ducis erimus ; nullius auctoritatem, prout tulerit occasio, eiciemus, poetæ ipsius semper memores, et ratione potissimum, quæ est omnium communis, adiuti. Nam si uiam coniecturis substruere non liceret, nec pedem nisi munito agmine proferre, omnibus iamiam græcæ poesos historiam scribentibus colligenda uasa essent, et illud nostrum antiquitatis studium pæne funditus abolendum.

Ergo dissertationem hanc in duas partes diuisi : quarum in altera parabaseos formas describam ; in altera origines quæram.

PARS PRIOR

CAPUT I

QUID SIT ET QUIBUS PARTIBUS CONSTET PARABASIS

Partium quibus uetus atticorum constitit comœdia princeps fuit parabasis. Fabulæ uniuscuiusque uelut quamdam efficiebat arcem in qua aspicienda aut exstruenda mirus erat populi favor, mira poetarum sedulitas. Cratini unam exstitisse comœdiam (1) in qua illa non emineret, ut rem prorsus insolitam traditum est ; ex ea autem poetas totius operis laudem et victoriam non semel consecutos esse scimus (2). Genus illud compositionis in quo Aristophanes, malignitatem grauitate mitigans, nec non aliquando exacerbans, ingenii sui florem et quasi sal delibatum nobis dedit, uim præcipuam totius comœdiæ plerumque significabat. Nunc autem in definitionis proferendæ difficultatem incidimus.

Parabasim « cantico » simillimam Pollux fecit, scri-

(1) Ὀδυσσεῖς.
(2) *Ranæ*, Ὑπόθεσις I.

bens : τῶν (δὲ) χορικῶν ᾀσμάτων των κωμικῶν ἕν τι καὶ ἡ παράβασις. Quod quidem, si ad litteram acceperis, errorem clamat. Idem verbum tum chorici interludii partem, tum interludium totum, imo quiquid extra fabulæ ipsum argumentum aut canitur aut recitatur sæpe indicat. Ne in superuacuis diutius immoremur, Aristophanem commemorare satis sit, quoties uerbo παραβαίνειν utitur, motum intelligere quo priorem aliquam sedem chorus relinquens, ad spectatores se conuertit :

οὔπω παρέβη πρὸς τὸ θέατρον.
(Acharn. II, 629.)
Ἠνάγκαζεν λέξοντας ἔπη πρὸς τὸ θέατρον παραβῆναι.
(Eq., II, 507.)
Αὐτὸν ἐπῄνει πρὸς τὸ θέατρον ἐν τοῖς ἀναπαίστοις.
(Pax, 735) (1).

Eumdem in his locis sensum habet παραβαίνειν, quam apud Demosthenem παραβαίνειν ἐπὶ τὸ βῆμα. Quibus consentiunt Scholiastæ, rem ita expedientes : λέγεται (δὲ) παράβασις..... ἐπειδὴ παραβαίνει ὁ χορὸς τὸν τόπον (2)· Ἑστᾶσι μὲν γὰρ κατὰ στοῖχον οἱ πρὸς τὴν ὀρχήστραν ἀποβλέποντες· ὅταν δὲ παραβῶσιν, ἐφεξῆς ἑστῶτες καὶ πρὸς τοὺς θεατὰς βλέποντες τὸν λόγον ποιοῦνται (*Eq.* 508.) — Παράβασις (δὲ) ἐστὶν ὅταν ἐκ τῆς προτέρας στάσεως ὁ χορὸς μεταβὰς οὕτως ἀπαγγέλλῃ πρὸς τὸν δῆμον (*Nubes*, 518). — Παράβασιν ἐκάλουν ἀπὸ τοῦ παραβαίνειν τὸν χορὸν ἀπὸ τῆς νενομισμένης στάσεως εἰς τὴν καταντικρὺ τοῦ θεάτρου ὄψιν, πότε ἐβούλετο ὁ ποιητὴς διαλεχθῆναί τι ἔξω τῆς ὑποθέσεως ἄνευ τῶν ὑποκριτῶν πρὸς τὸ θέατρον διὰ τοῦ χοροῦ (*Pax*, 733) (3).

(1) Uid. etiam *Thesmoph.* u. 785.
(2) De illo sensu cf. Thucydidem, IV, 28 et VI, 19.
(3) Uid. etiam grauissimos locos de parabasi apud Hermannum (*Elem. doctr. metr.* p. 720). — De illo chori motu κατὰ ζυγὰ aut κατὰ στοίχους incedentis, uid. Schol. (Au. 733).

Antequam sententias et consilia quorum proferendorum causa efficiebatur parabasis excutiamus, iam satis apparet motum eum chori eodem sensu spectatores antiquos mouere debuisse quo nos hodie pellimur, quoties, media dum agitur fabula, spectaculi apparatus subito immutatur et aliquid inexpectati in scænam proditurum esse sentimus. Sed de his posterius ; quamuis minime inuolutarum rerum notitiam daturi simus, hoc primum non est omittendum ut quid sit de quo disputetur, ex instituto breuiter aperiamus. Loci quos supra retuli utique anapæstos spectant ; parabasis autem ea de qua loquimur, septem illas habet partes quarum aliæ ἄπλα εἴδη, aliæ εἴδη κατὰ σχέσιν uocatæ sunt :

Simplices partes.	Κομμάτιον. 'Ανάπαιστοι Πνῖγος.
Partes ratione connexæ ('Επιρρηματικὴ συζυγία)	'Ωδη. — 'Αντῳδή· 'Επίρρημα — 'Αντεπίρρημα.

Ultimis duas nouas adiunxerunt, πνῖγος scilicet et ἀντιπνῖγος (1); sed illa neglegi possunt quum parabasis nouem partibus nusquam instructa sit.

§ 1. — De commatio

Fragmentum illud (κομμάτιον dico), commissura est qua fit poetæ ab argumento ad deuerticula transeundi

(1) Zielinski, *loc. cit.*, p. 176.

opportunitas; in qua duæ dignoscuntur particulæ quarum in altera chorus exeuntes histriones amicis uerbis prosequitur, in altera sedem mutat, et, ueste posita, spectantes allocuturus prœmiatur(1) :

> Ἀλλ' ἴθι χαίρων, καὶ πράξειας
> κατὰ νοῦν τὸν ἐμὸν, καί σε φυλάττοι
> Ζεὺς ἀγοραῖος ..... (2)

ait primum ille, addens :

> Ὑμεῖς δ' ἡμῖν πρόσχετε τὸν νοῦν
> τοῖς ἀναπαίστοις
> ὦ παντοίας ἤδη μούσης
> πειραθέντες καθ' ἑαυτούς (3).

Duos plerumque membrorum circuitus explet, sæpius anapæsticos, sed uariis metris admixtos. Si enim *Acharnenses* exceperis ubi commatium ab anapæstis nihil differt, et *Equites* ubi duas illud periodos explet dimetrorum anapæsticorum quarum utraque paræmiaco concluditur, cetera sunt quum choriambis et creticis, iambis et trochæis, tum dimetris, monometris et hemioliis referta, ratione dubia aut nulla (4). Non fit

(1) Eas propriis uocabulis designat Scholiasta: ἀλλ' ἴθι χαίρων. τοῦτο διὰ τὸ εἰσάγεσθαι τὸν χορὸν ἐξιόντων τῶν ὑποκριτῶν ὀνομάζεται κορωνίς· διὰ δὲ τὸ προτίτεσθαι τῆς παραβάσεως κατὰ τὸ ἔθος ὀναμάζεται κομμάτιον (*Nubes*, 510. uid. etiam *Eq.* 498 et *Au.* 676). τοῦτο κομμάτιον καλεῖται ὅπερ ἐστὶ προκήρυγμα τῆς παραβάσεως (*Uesp.* 1009).

(2) *Eq.* 498. u. etiam *Nub.* et *Uesp.* loc. præcit.

(3) Aut in *Acharn.* (629) :

> Ἀλλ' ἀποδύντες τοῖς ἀναπαίστοις ἐπίωμεν.

(4) Uid. præsertim *Au.* (676-685).

scholiastæ qui metrorum pedumque nomina sedulo refert et recentiorum consensus, eosdem locos uarie interpretantium ; non meum est autem eam acriore cribro cernere farinam ! Commatium, per se liberum, eis partibus simile uidetur fuisse quæ apud musicos nostros inter canticum et meram declamationem mediæ sunt, quæque apud antiquos παρακαταλογή uocabantur.

§ 2. — De anapæstis

Anapæsti locum eum præcipuum et optima uelut in luce situm obtinent unde quasi e suggesto ad populum fiebat oratiuncula. Errauit profecto Kolsterius qui epirrhemata totius interludii caput esse et uices maximas explere crediderit (1). Si enim is est parabaseos finis ut poeta suam ipse personam inducat suosque affectus palam declaret, primum uindicant anapæsti dignitatis gradum. Ceterum Scholiasta parabasim et anapæstos tanquam nomina idem significantia sæpius usurpat : παράβασις inquit..... ἣ καὶ ἀνάπαιστος καλεῖται (*Nub.* 518). Ipse Aristophanes ait (*Pax,* 735) :

Αὐτὸν ἐπῄνει πρὸς τὸ θέατρον παραβὰς ἐν τοῖς ἀναπαίστοις.

Quod sic interpretatur scholiasta : πᾶσαν παρέκβασιν ἀναπαίστους λέγει (*ibid.*). Illud tamen non ubiuis iure dici possit. Exstat nempe Amphiarai fragmentum parabaticum quod priapeio uersu, scilicet glyconico et pherecrateo,

(1) De parabasi, etc. (uid. supra), p. 77.

scriptum est. Aristophanes etiam, in illa *Nubium* parabasi quæ omnium elegantissima et nobilissima sæpe habetur, uersibus utitur quos nonnulli trochaicos esse uoluerunt catalecticos (1), quos autem alii tetrametros choriambicos polyschematicos (2) eupolideos uocant :

> Ὦ. θεώμενοι κατερῶ πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως,
> κ. τ. λ.

de illo enim uersu disserens Hephestio exemplum adfert ex ipsa illa *Nubium* parte desumptum ;

> ὁ σώφρων τε χὠ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην.

Anapæsti tamen huic parti maxime accommodati uidentur fuisse ; quum enim legimus :

> ἄρχου τῶν ἀναπαίστων,..... (3).

poetam dicas aliquid usu notissimum et quasi sacratum referre.

Anapæstos cantu ipso plane abhorrere, nemo, reor, infitias ibit. Hic enim omnia lyricis moribus repugnant : quum longa uersuum series sibi eodem metro constantium et sententiarum natura publica negotia aut res priuatas spectantium ; tum uerba quotidiano usu desumpta et oratorium magis quam heroicum colorem præferentia. Recitanti autem corypliæo ads-

(1) Uid. *Chr. D. Beckii in Arist. commentarior. II*, p. 215.

(2) Aut ἀσυστάτους, ut ait Schol. (*Nub.* 518). — Uid. Hermannum, *de re metr.* III, c, 5 et Wesphalem, *Metrik.*, 771.

(3) *Au* 684; u. etiam *Ach.* 627, *Eq.* 564, *Pax* 755.

pirare tibiam auctor est scholiasta (1), et indicant illi *Auium* uersus quibus uel luscinia uel Musa inuocatur :

> Ὦ φίλη, ὦ ξουθή,
> ὦ φίλτατον ὀρνέων
> πάντων ξύννομε τῶν ἐμῶν
> ὕμνων ξύντροφ' ἀηδοῖ.
> . . . .
> ... ὦ καλλιβόαν κρέκουσ'
> αὐλὸν φθέγμασιν ἠρινοῖς,
> ἄρχου τῶν ἀναπαίστων (676-685).

Non luscinia sequentium carminum tanquam adiutrix cieri posset, nisi prius muta mansisset ; unde fere idem uidetur differre inter commatium et anapæstos, quam inter illud quod nos « recitatiuo secco » et illud quod « recitatiuo accompagnato » uocamus. Imo uerba illa « ἄρχου τῶν ἀναπαίστων » interuallum fieri significant quo tibia præludens grauissimæ illi parabaseos parti initium faciebat.

Quo spectent anapæsti quis nescit ? Exceptis *Auibus* ubi Aristophanes, de rerum origine poetarum et philosophorum tradita iocose retulit et miscuit, illi uelut arma aut tela in ciuis manu fuere : κατὰ (δὲ) τὴν ἀπόστροφον

(1) πολλάκις πρὸς αὐλὸν λέγουσι τὰς παραβάσεις (*Au.* 682) : unde uox illa ἄρχεσθαι (*præire anapæstos*) orta est. — De Coryphæo, poetæ loco, uerba facienti, et personam, priusquam spectatores alloquatur, exuente, uid. Schol. *Eq.* 507, ***Nub.*** 518, ***Pax*** 735, ***Au.*** 585 ; Polluc., IV, 112 ; Zielinsk. *loc. præc.* p. 376.

ἐκείνην, ait Platonius (1), οἱ ποιηταὶ διὰ τοῦ χοροῦ ἢ ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀπελογοῦντο, ἢ περὶ δημοσίων πραγμάτων εἰσηγοῦντο.

Quæ cum ipsius poetæ uerbis optime congruunt (2).

§ 3. — De macro

Τὸ πνῖγος, aut μακρὸν, erat anapæstorum finis, a grammaticis ita dictum quod uno tenore nec respiratione ulla recitaretur. Sic enim illud a Polluce finitur : μελύδριον ἀπνευστὶ ᾀδόμενον (IV, 112). Ait etiam Platonius : ἡ (δὲ) παράβασις (scilicet anapæsti) ἐπληροῦτο ὑπὸ μελυδρίου καὶ κομματίος (3). Et Scholiasta : κομμάτιον καταβολή τις ἐστὶ βραχέος μέλους. « Animi concitatione, scribit Kockius, facile totus homo corripi poterat ita ut sui impotens quasi præceps ferretur, ingenti feruore noua semper uerba iactaret et alias aliis sententias quasi obrueret nec prius acquiesceret quam uiribus exhaustus exstinctoque spiritu » (4). Illum actionis modum ægre, fateor, cogitatione concipio ; in Racinii quidem nostri *Litigatoribus* aut in ea Molieri fabula qua *Inconsulti* mores depinguntur, insunt uersus qui, ἀπνευστὶ dicti, sæpius risum audientibus eliciunt ; non illis autem conferre audeam huius modi interpellationem :

(1) *In edit. Did.* 45-50.
(2) Uid. *Pac.* 734.
(1) *Loc. cit.* 50. Uid. etiam Schol. *Ach.* 659 ; *Vesp* 1851, *Au.* 733,
(2) *De Parabasi*, etc., p. 15.

πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω.
Τὸ γὰρ εὖ μετ' ἐμοῦ καὶ τὸ δίκαιον
ξύμμαχον ἔσται, κοὐ μή ποθ' ἁλῶ
περὶ τὴν πόλιν ὥσπερ ἐκεῖνος
δειλὸς καὶ λακαταπύγων.

Non illa immissis habenis, id est inaudax et tanquam sui pudens aut neglegens edere debuit coryphæus, sed composite et expresse, ut qui ne verbum aut litteram unam perperam pronuntiari et uelut telum sine ictu emitti curaret. Utcumque se ea res habeat, multo magis quam commatium anapæstis adhæret macrum. Systemata efficit illud anapæstica dimetris constantia, uno aut altero sese interponente monometro, cum parœmiaco in fine (1). In *Nubibus* desunt anapæsti ; deest etiam τὸ πνῖγος.

§ 4. — De melicis partibus

E uita communi ad res diuinas apta compositione expressas melicæ parabaseos partes comœdiam reuocabant. Nomen illud « stropha » aut « antistropha » quod recentiores usurpant ut canticorum rationem sibi pariter respondentium significent e diuersis fontibus duxerunt. Platonius, nomine magis quam prudentia sæpius insignis, ait : πρὸς ἀμφότερα τὰ μέρη τοῦ δήμου ὁρῶν (ὁ χορὸς), ἐκ τετραμέτρων δεκαὲξ στίχους ἀναπαίστους ἐφθέγγετο, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο στροφή· (Apud Didot. in *Aristoph. Schol.* IX a. 17 sq.).

(1) Cf. *Æschyl.* in *Eum.* u. 1003 sq.

Illius uerbi originem scholiasta ex eo repetit quod loquentis animus ad priorem sententiam, initio operis alicuius expressam, regreditur, interiecta digressione quæ extrinsecus allata et pæne superuacua, saluo totius carminis sensu, tolli possit. Ἀντίστροφος (δὲ) εἴρηται παρὰ τὸ ἀναστρέφειν ἐπὶ τὸν ἐξ ἀρχῆς νοῦν τοῦ λόγου, μεταξὺ λεγομένων τῶν περιττῶν, καὶ ὥσπερ ἐντεθειμένων καὶ δυναμένων ὑπεξαιρεῖσθαι, οὐδὲν ἧττον τῆς ἀκολουθίας σωζομένης. Hæc ait [de *Pacis* parabasi (797) in qua poeta Musam primum inuocat eamque sibi sociam esse debere profitetur, deinde Carcinum eiusque filios carpit, ac rursus, ineunte antistropha, ad sui ipsius præconium redit. Cui opinioni (quamuis inter cantus, motus et sententias ipsas chori uinculum esse et concentum fieri uerisimile sit), multa reclamitant cantica, tum præcipue *Acharnensium* parabasis, cuius in stropha poeta Musam illam acharnicam igne uiuidiorem arcessit, in antistropha autem marathonicis senibus circa clepsydram miserrimis patrocinatur. Idem uocabulum grammaticus, non maiorem fidem faciens, a musicorum arte desemptum esse opinatur : ᾀσματοκάμπτας (λέγει τοὺς διθυραμβοποιούς) ὅτι διὰ τὸ ἁρμονίᾳ μὴ ὑποπίπτειν αὐτῶν τὰ συγγράμματα καμπὰς ἔχουσι πλείονας ἃς οἱ μουσικοὶ καλοῦσι στροφὰς καὶ ἀντιστρόφους (1). Quanquam scholiasta uerbo ipso antistropha plerumque utatur (2), alia cum aliis nonnumquam confundit, ut cum dicit (in *Nub.* 518) enumeratis parabaseos partibus : τινὲς δὲ

(1) Schol. *Nub.* 333.

(2) *Ach.* 1037 ; *Pax* 383 ; *Nub.* 518, 949 ; *Ran.* 440 ; *Eq.* 616, 530, 863.

προστιθέασι καὶ ᾠδὴν καὶ ἀντῳδὴν (1). Quæ uerba nullum sensum habent nisi ᾠδὴ et στροφὴ diuersa eiusdem rei nomina hic habeantur; addit etiam pessime (*ibid.* 595) : ἔφαμεν (γὰρ) ἐν τοῖς χορικοῖς γίνεσθαι τὰς στροφὰς καὶ τὰς ἀντιρτρόφους καὶ τὰς ἐπῳδοὺς, ἅ τινες καλοῦσιν ἐπιρρήματα. Serpentes mehercule hic auibus geminantur, quum nihil cantico dissimilius sit quam epirrhema.

Nihil equidem magis fluxum est et precarium quam uerborum significatio. Antistropha, ut periodus, uidetur significasse quod Cicero ita latine transfert : uerborum *ambitum, circuitum, comprehensionem, conclusionem ;* sed sensus ille recentior est ; opinioni puto assentiendum quam Zielinskius ita disserens protulit : stropha et antistropha motum saltantis alicuius se ab alio ad alium uertentis exprimunt : « olim, ait Atilius grammaticus (2), carmina in deos scripta ex his tribus constabant : circumire aram a dextra *strophen* uocabant, redire a sinistra *antistrophen;* post cum in conspectu dei consistentes canticis reliqua pergebant, *epodon.* » Idem ergo cantor diuersos eos motus peragebat ; nec desunt huius rei argumenta. Quum enim apud Pindarum sæpius, tragicos nonnunquam, in doricis scilicet carminibus, strophæ et antistrophæ idem uerbum equitantis modo ut ita dicam hæreat interpositum, iisdem profecto saltatoribus et cantoribus utramque cantici partem mandatam fuisse patet. Quæ nomina in comœdia

(1) uid. etiam *Pac.* 485, 797.

(2) u. Zielens. in *op. cit.*, p. 264 et notulis.

quidem inuenimus, sed adoptiua tantum et extrinsecus allata. Falsam sibi scientiæ persuasionem induerant qui tragœdiam et comœdiam in eadem studiorum prouincia reponebant, alteram alterius quasi filiolam esse arbitrantes. Non alieni sed sui iuris fuit comœdia, dum nasceretur et adoleret. Melicæ parabaseos partes « ode et antode » reuera uocantur. Ἀντᾴδειν autem, ut et pluribus locis liquet (1), *respondere* est *canendo ;* unde oden et antoden non iisdem cantoribus addictas fuisse, sed diuersis duosque greges efficientibus in confesso esse debet.

De chori quidem illa partitione eiusque motibus multi disseruerunt sed multa in obscuro reliquerunt. Qua uocis ratione, per quos et quo loco agerentur cantica, parum scimus. Placuit Zielinskio eos qui *Equitum* partes agebant, non pedites sed reuera equites in orchestra stetisse (2) ; si autem chorum ἡ πάροδος in scenam sæpius educebat (3), parabasis quoque eumdem eodem conducere debuit : minime uero reor equites per scalas eas de quibus loquitur Pollux (4) ex orchestra in

(1) Aristoph. *Thesm.* 1059, *Eccles.* 887.

(2) Illam ei fidem faciunt et titulus comœdiæ et quædam verba ut ἐλᾶτε, κονιορτὸς : sed comici poetæ uerba non ad litteram accipienda sunt. Ut in *Uespis* et in *Nubibus* Aristophanes hic uidetur describere non quod spectantium oculis subiicitur, sed quod in eorum memoria est.

(3) Non in *Equit.* et *Acharn.* sed in ceteris fabulis, ait Zielinskius. Ea distinctio, quod ad parabasim attinet, nihil ualeat.

(4) εἰσελθόντες δὲ κατὰ τὴν ὀρχήστραν ἐπὶ τὴν σκηνὴν ἀναβαίνουσι διὰ κλιμάκων (IV, 127).

scænam transire potuisse. Illa tamen sunt quæ nos non comperta et explorata sed utique probabilia habere possumus : chorus comicus qui quatuor et uiginti personis constabat (1), in duas cateruas (quod tragœdiæ quindecim choreutis non licebat) erat bipartitus, (τὸ δεξιὸν scilicet καὶ τὸ σκαιὸν κέρας (2), quæ ἀντιπρόσωπον ἀλλήλαις collocabantur ; quarum altera oden, altera antoden canebat. Ille qui dexteræ cateruæ præerat epirrhema, qui sinistræ antepirrhema agebat.

Melicæ illæ partes in quibus dei aut deæ alicuius laudes cum sueto lyricæ elocutionis splendore plerumque celebrabantur, legem his uerbis expressam seruabant : ἡ μὲν (οὖν) στροφὴ καὶ ἀντίστροφος συνεμπίπτουσι κατὰ τὸ μέτρον καὶ τὰ κῶλα (Schol. *Nub.* 518)... ἡ ἀντῳδὴ καὶ ἀντιστροφὴ ὁμοία ἐστὶ τῇ ᾠδῇ καὶ στρόφῇ κατά τε τὰ κῶλα καὶ τὰ μέτρα (id. *Nub.* 595) (3).

In eis Aristophanes notissimorum carminum formam refert, imo ipsa uerba initio mutuatur ; quod insigne est si apud Græcos cantica primis procemii uerbis designari memineris. Cum etiam fere omnes illæ partes pœonicum habeant metrum, seu sincerum, seu tro-

(1) Pollux (IV, 109.)

(2) ὁπόταν (γὰρ) ὁ χορὸς εἰς δύο μέρη τμηθῇ, τὸ μὲν πρᾶγμα καλεῖται διχορία, ἑκατέρα δὲ ἡ μοῖρα ἡμιχόριον, ἃ δὲ ἀντᾴδουσιν ἀντιχόρια (Pollux, IV, 107). cf. Aristophanem τὸ δεξιον κέρας commemorantem in *Au.* (u. 353) et in *Equit.* (u. 243).

(3) Idem canticorum metricam compositionem sedulo expendit in *Nub.* 949, *Ran.* 440, *Eq.* 616, etc.

chæis aut anapæstis admixtum, pæonicumque illud in hyporchematibus (quæ alacri motu agebantur) usitatissimum fuisse sciamus, hyporchematicam saltationem in parabaseos melicis partibus usurpatam fuisse uoluit Westphal. Qua ex opinione cur discedendum putem breui dicam.

§ 5. — De epirrhematibus

Epirrhema, ut ait Scholiasta, ita uocatur διὰ τὸ ἐπιρρέπειν αὖθις τὸν χορὸν πρὸς θεατὰς (*Nub.* 575). Ibidem dicitur chorum in epirrhematibus utilia consilia dare et malos carpere solitum esse (2). Ea sunt trochaici metri aut cretici ; metrum autem illud saltantibus maxime est accommodatum : quare saltationem in ea parte carminibus sociari creditum est. Westphal qui musicam artem tanquam filiolam osculatur suam, in epirrhematibus ipsis cantum floruisse ait. Cantu omnia sonare credas. Cum tamen idem homo et coram Athenientibus in theatro loqui et in numerum simul moueri nequeat, atque dimidiatus chorus, detracto illo qui loquebatur, numero impare esset ita ut absolutam nullam oculisque gratam figuram sese mouendo efficere posset, res ita dispositas fuisse Zielinskio iure placuit : dum alterius

(1) Ἔθος γὰρ ἐν τῷ ἐπιρρήματι χρηστὰ συνδουλεύειν τῇ πόλει, ἢ ἐλέγχειν τοὺς πονηρευομένους.

dux dimidii chori epirrhema agebat, alter dimidius chorus saltabat ; ita concionans unus et saltatores duodecim, eosdem numeros ac modos obseruantes et uicissim repetentes, iucundissimam ipsa uarietate rythmi ac symmetriæ coniunctionem faciebant.

Tametsi quæ præcedunt omnibus sunt satis nota, non a definitionibus proficisci non poteramus. Iam autem rei summam habemus. Illas parabaseos partes non modo specie, compositione, dicendi genere, proposito consilio inter se dissimillimas esse, sed non una inuentas nec priorem nascentis comœdiæ formam pariter nobis referre quiuis uiderit. Uix enim credendum est rem tanta sollertia contextam et adeo multiplicem sicut galeatam quamdam Mineruam e primi poetæ ingenio exsiluisse ; repudianda est prorsus illa Kockii opinio « cum excultæ comœdiæ forma non sensim et per partes, sed uniuersam simul natam esse parabasim ». Ædificiis quibusdam illa potest comparari quibus antiquæ et recentiores manus admotæ sunt, et quæ, quamuis dealbati parietes unum nunc colorem induant, dignoscendas tamen uariarum ætatum artes inspicienti præbent. Quare illa mihi in animo est defendere :

1° Melicas partes primum constitutas fuisse et propriam formam e canticis popularibus ducere ;

2° Epirrhemata non multo post, ad earum instar, quatenus eorum natura sinebat, digesta et collocata fuisse, et cum eis prioris comœdiæ quasi nucleum fuisse ;

3° Anapæstos multo post, cum comœdia argumenti

alicuius nouitatem sibi adsciuit, prologi uicem explenisse ;

3° Quæ omnia in unum conuenisse et totius fabulæ interludium illud quod ante oculos habemus, cum florentissima esset comœdia, effecisse.

PARS POSTERIOR

CAPUT II

De melicis partibus

De origine comœdiæ disserere audenti non mihi stat sententia temporibus præcipue computandis impensam adhibere operam aut nomina proferre quæ cæca et anceps æstimatio auguratur, sed pauca principia repeterere quæ, ut simplicia, ita pro certissimis haberi possunt. Illud primum concedi uelim, nec quemquam petenti repugnaturum esse arbitror. Quidquid rythmum habet (rythmum dico quod in dicendo paritatem aliquam efficit) magis antiquum esse quam quod nullius aut minoris rythmi formam retinet. Nos recentiores a ueteribus Græciæ poetis non hoc minime distinguimur quod in canendi aut scribendi arte fractos ac uelut elumbes rythmos nonnunquam affectamus. Quare, quisquis res uel summatin inspicere uelit, τὰ κατὰ σχέσιν εἴδη magis antiqua esse quam cetera non negauerit. Quod ex ipsis Aristotelis uerbis, ni fallor, coniici potest. Ait enim ille : τίς (δὲ) πρόσωπα ἀπέδωκεν, ἢ προλόγους, ἢ πλήθη

ὑποκριτῶν, καὶ ὅσα τοιαῦτα, ἠγνόηται. Τοῦ δὲ μύθους ποιεῖν Ἐπίχαρμος καὶ Φόρμις ἦρξαν (1). Inde concludi potest illas partes de quibus tacet philosophus, melicas scilicet partes et epirrhemata, non ex auctoris alicuius inuentione et arbitrio natas esse, sed ipsi comœdiæ origini assignari debere ; dicendo enim quid paulatim nouum apparuerit, quid antiquum remaneret, fons et caput totius operis, subintelligendi facultatem iisdem uerbis nobis reliquit. Ad eamdem autem opinionem alia ducit uia.

Fuit tempus quo nondum sui compos, litterarum ignara nec ciuitate condonata comœdia per agros et uicos ebria tumultuabatur, proteruitatem fronte præferens, nulla nisi effrenatæ festiuitatis lege adstricta, primis simillima (quod ad mores attinet) Italiæ mimis qui centunculo induti et excalceati obscena uerba, præstigias et plebeios gestus miscebant, quorumque artem nihil certius habuisse dictum est præter impudicitiam. Eius licentiæ speciem quamdam colligere possumus quum ex *Acharnensium* (2) et *Nubium* (3) uersibus, tum ex Plutarchi (3) et Athenæi (4) uerbis, phallicam poesim qualis recentiore quidem Demetrii Phalerei ætate fuerit, describentis. Unum autem grauissimum in eorum « ἐθελοντῶν » ludis de quibus loquitur Aristoteles agnoscendum est : cantus scilicet. Aristophanes ait

(1) *De Poet.* (VI).
(1) 241-280. — (2) 537-544.
(2) *Moral.*, p. 521, E.
(3) P. 622 C.

priores quosdam poetas præcipue canticis laudem esse consecutos, ut Cratinum :

ᾆσαι δ' οὐκ ἦν ἐν συμποσίῳ πλὴν Δωροῖ συκοπέδιλε
(*Equit.* u. 529.)

Nascente uero comœdia, fere omnem artis uim et uoluptatem pænes se retinuit cantus. Testimonio sint ipsa illa phallica in *Acharnensibus* concelebrata : non uini tantum et scorti delicias extollit Diceopolis, sed sacra quodammodo scurriliter instituit, Bacchum Phalenque inuocando ; quis nescit autem apud Græcos religioni semper cantus admixtos fuisse ? Quid multis exemplis opus est ? Bacchus, in *Ranis* cantus inuentor dicitur :

Ἴακχε πολυτίμητε, μέλος ἑορτῆς
ἥδιστον εὑρών.....
(u. 397 et sq.)

Hic poeta duas comœdiæ partes distinguere uidetur, quarum alteram efficiunt μέλη, e comica festiuitate primum nata, alteram autem ἔπη multo posterius inuenta. Nec mirum est Bacchum ut musicum deum ita consalutari. Canendi enim artem non dolor, ut quidam putauere, sed gaudium genuit. Hoc ita a natura comparatum est ut, quoties iucundior animi motus nos inuadat, uocem altius et maioribus flexibus tollamus, et ad cantum ipso alacritatis impetu feramur ; qua autem lœtitia incensos fuisse eos pacis amatores putandum est qui, Dionysiis ruralibus, uere aduentante (1),

(1) Vid. *Nub.* 311, et Schol. in *Nub.*, 10, *Au* 683, *Ach.* 378.

nullo urbanæ uerecundiæ respectu, felicitate ea quæ sensu percipitur nec ab ulla philosophantis animi ratiuncula pendet, fruebantur, quibusque uinum, uictum, fruges, uolupatatem, imo uoluptatis ministeria pro deo habere religio ipsa suadebat ? Nusquam et nunquam fuit opportunior locus quo innata illa apud quasdam gentes canendi facultas, ebrietate stimulata ac freta, nitidi cœli lumine quodammodo adiuta, omnibus uitæ ac naturæ incitamentis facilius cederet. Atque mehercule, si in Græcia illa semper feriata quæ cantores edocere partem publici muneris esse postea uoluit, cantus ubique floruit ; si sua erant in urbe telæ textoribus cantica propria, sua lanificis, sua pistrinariis, sua aquariis, sua nutricibus, sua in mari remigibus et nauiculariis, sua pestem arcentibus, ualetudinem orantibus, pompam ducentibus, exsequias agentibus ; si bibentibus, lasciuientibus, amantibus et turpissima consectantibus, quis miretur rusticos etiam operarios non modo cum frumenta demeterent aut terram aratro uerterent sed cum primitiis uini fruerentur, cantibus indulsisse ?

Alterum autem illud mihi concedi uelim : cantus scilicet eos populares rythmum quemdam habuisse. Id enim in certamen cadere non posse ex plurimis causis mihi persuadeo quarum aliæ ex communi omnium gentium natura et usu atque quadam musicæ artis lege, aliæ ex ipso Græcorum ingenio necnon ex Aristophanis uerbis sunt ductæ.

Quemadmodum huic quotidiano quo utimur ser-

moni, uis inest intellectus quæ eum, in principio, illitteratorum hominum declarandæ sententiæ aptum fecit eiusque rationem constituit, sic uel rusticis cantibus uis aliqua inest propria atque innata, quæ eos lege regit et non menti sed auribus, ut facilius accipiantur, accommodatos reddit. Quæ ceterum si secus essent, qui fieri possit ut canticum idem multos annos floreret et in plurimorum ore uersaretur ? Optimus est autem memoriæ adiutor rythmus. Quidquid etiamnunc a qualibet populi parte cani audimus, non incomposito uocum tenore constat, sed numerum habet aliquem aperte uinctum et audientibus facillime perceptum, clausulisque utitur in eosdem modos eademque uerba sæpius cadentibus, ita ut gratissimi cuiusdam rythmi speciem induat ; ad hoc nos (homines dico, non artium prudentes et intelligentes) innatus amor impellit, κατὰ φύσιν ὄντος ἡμῖν, ut ait Aristoteles, τοῦ μιμεῖσθαι, καὶ τῆς ἁρμονίας καὶ τοῦ ῥυθμοῦ. Adde Græcis, dum lyrica poesis excultissima esset, eas tantum rythmi species gratas fuisse quæ simplices uiderentur et saltantium pede facile notarentur ; adde eosdem pulchritudinis illius quæ ex similitudine ac repetito ordine nascitur adeo fuisse amantes, ut eas templorum partes quæ non conspectu uno adspici poterant, pares tamen esse et paribus figuris ornari uellent.

Aliud est autem argumentum quo ad ipsas Aristophanis comœdias reuertemur. Uir musicæ rei prudentissimus, cuius nomen et scripta ab hoc proposito meo longe abhorrent, auctoritas tamen in antiquis etiam

rebus plurimum mihi ualere uidetur (1), iure dixit cantica ueterum omnia illa quæ *motus aliquis corporis, seu saltantium seu plaudentium subsequebatur, numeris necessario adstricta fuisse, et rythmum sine dubio habuisse*. Græcorum canticorum reliquias eadem nos ratione explorare optimum fuerit. Rythmum ergo habuit cantus ille quo Achillis socii mortuum Patroclum prosequebantur, quoniam, dum canerent, iter faciebant (2); rythmum habuit et illa Achillis amicum plorantis lamentatio (3), et ille Cretensium cantus ad templum iter facientium (4); rythmum habuere uerba illa, ad fastidium repetita quæ apud Aristophanem *restionibus* tribuuntur (5):

φλαττοθραττοφλαττόθρατ.

(1) Eius nomen hic bona legentis uenia proferam : de Coussemaker (l'*Harmonie au moyen-âge*, II, 1). Numerosus ei uidetur fuisse cantus ille quo Clotarii de Saxonibus uictoria extollebatur, (cuiusque translatio tantum latina exstat), quoniam eumdem mulieres « saltantes et manibus plaudentes » exercebant.

(2) Νῦν δ'ἄγ' ἀείδοντες παιήονα, κοῦροι 'Αχαιῶν
νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσι νεώμεθα, τόνδε δ' ἄγωμεν.
(Il. XII, 391.)

(3) ... Οἱ δ' ᾤμωξαν ἀολλέες, ἦρχε δ' 'Αχιλλεύς·
οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐύτριχας ἤλασαν ἵππους
μυρόμενοι
(Il. XXIII, 12.)

(4) In hymn. ad *Pyth. Apoll.* u. 336-341. Quibus cf. Aristoph. in *Ran.* :

"Ιακχε ..... δεῖξον ὡς
ἄνευ πόνου πολλὴν ὁδὸν περαίνεις.
(396-402.)

pedes iter facientis rythmum cantici efficiunt qui longæ uiæ laborem leuat.

(5) *Ran.* 1286. — Aliter sæpius significatur rythmus repetione uerborum, ut in *Ecclesiaz.* 958-960 et 966-969.

In Dionysiis autem saltatio et cantus una sese efferebant. Chororum amantissimus ter in eadem stropha dicitur Bacchus, minime placidus profecto deus ac semper irrequietus :

Ἴακχε φιλοχορευτά, συμπρόπεμπέ με (1).

Chorearum ductor inuocatur tanto impetu inceptarum ut senes, longæuæ ætatis mœrorem ipsosque annos excutientes, orgiarum participes fiant (2) :

Γόνυ πάλλεται γερόντων·
ἀποσείονται δὲ λύπας
χρονίους τ' ἐτῶν παλαιῶν ἐνιαυτούς,
ἱερᾶς ὑπὸ τιμᾶς.
Σὺ δὲ λαμπάδι φέγγων
προβάδην ἔξαγ' ἐπ' ἀνθηρὸν ἕλειον δάπεδον
χοροποιόν, μάκαρ, ἥβαν.

Cantus etiam et saltationis societas in plurimis locis memoratur quorum grauissimum tantum illum referam :

Ἀλλ' εἶ' ἐπ' ἄλλ' ἀνάστρεφ' εὐρύθμῳ ποδί,
τόρνευε πᾶσαν ᾠδήν·
ἡγοῦ δέ γ' ὧδ' αὐτὸς
σὺ κισσοφόρ' ὦναξ
Βάκχει'· ἐγὼ δὲ κώμοις
σὲ φιλοχόροισι μέλψω.

(*Thesmoph.*, 985-990.)

Illa quidem uerborum copia, ille uersuum splendor a nascentis comœdiæ moribus maxime distant; ex iis autem ut flumen e fonte orti sunt. Cantum eum rustico-

(1) *Ran.* 402 et 413.
(2) *Ibid.*, 346, sq.

rum popularem uel minima ἀναδιπλώσει, ut « Ἴακχε, Ἴακχε », aut βακχέβακχον, aut Φάλης, Φάλης, aut etiam illo ἰοὺ ἰοὺ quod Aristophanes se repudisasse profitebatur (*Nub.* 543) constare potuisse concedo ; saltationem etiam ipsam non est quod multa arte præditam fuisse credamus, cum dicat Scholiastes (*ibid.* 540) : κόρδαξ κωμικὴ ἥτις αἰσχρῶς κινεῖ τὴν ὀσφῦν. Nobis autem satis fuerit et cantum et rythmum in comicæ rei incunabulis indicasse. Quæ initia, ut minima, sic certissima uidentur. Inde omnia effloruere ; super his omnia exstructa sunt. Musicæ soror uocanda est poesis ; natu autem minor.

Non quidem nescius sum contra principium illud quod posui quædam dici posse ; quæ et exponere, et, quatenus licet, refellere, non omittam. Quemodmodum apud Athenienses in templis ædificandis adhibita ratione, ita in comicarum fabularum melicis partibus, duo sunt genera : ionicum scilicet ac doricum, quæ et pedum et membrorum compositione et ipsa qua proferuntur arte inter se maxime differunt (1). Quorum alterum, quæ est eius simplicitas, (ionicarum stropharum genus dico) a natura ipsa uelut sponte allatum et ad uulgi sensum magis accommodatum esse uidetur ; alterum autem est multiplex et doctrina plurima arcessitum, apparatu multo, ad prudentissimi cuiusque suffragium comparatum : inter utrumque discrimen est idem quam inter illa cantica quæ popularia sunt, uelut e communi quodam humanitatis impetu nata, et illa

(1) Uid. Zielinskium, *loc. præc.*, p. 315 sq.

quæ ex scribentium officina multa scientia polita egrediuntur. Quomodo igitur fit ut in parabasi, non simplex stropharum genus, sed doricum illud, non dialectu semper ut in tragœdia, sed compositione agnoscendum, reperiamus? cur in ea parte quam uulgarem esse uoluimus, deprehenduntur usus qui Stesichori aut Pindari artem in animum nobis reuocant? — Caueamus ne illa quæ specie magis quam re inter se differunt nimis distinguamus; omnis lyricæ poeseos ratio e populi ingenio orta est : « prudentiores poetæ nihil aliud egerunt quam materiem a populo datam uariare et magis ac magis amplificare » (1). Seu enim unius uersus, ut in hexametris, aut plurium, ut in distichis, repetitionem respicias; seu membrorum libere connexorum paritatem, seu unius chori concentum, seu duas partes sibi uicissim respondentium, rythmus una et eadem res est, quippe qui temporum repetita aliqua diuisione constet: sanguini similis est qui in unius familiæ uariis corporibus idem uiget ac nitet. Quis cæterum putet parabaseos melicas partes ad illam Aristophaneam speciem uno quasi impetu statim peruenisse? Scimus quid illæ, quum ciuitate condonata est comœdia, a lyricis eis carminibus quæ totius Græciæ quasi publica materies erant mutuatæ sint : earum maturam ætatem uidemus, puerilem prorsus ignoramus. Quarum autem ortum et incrementum sic animo summatim concipio. Cantus, in principio, a minimis initiis profectus est,

(1) Uid. A. Croiset, *Histoire de la littér. gr.*, t. II, p. 39.

(ut uel illo ἰοὺ ἰοὺ quod, hercle, non insigne est Musis decus et ornamentum, mihi autem sufficit ut primas uoces tollenti comœdiæ rythmum tribuam); eiusdem uerbi aut eorumdem temporum repetitio κῶλον primum, deinde uersum effecit. Mox, uarietatem consectandi causa, uersus alius cum alio connexus est, ita ut distichon illud constitueretur quod apud Cratinum in canticis floruisse uisum est (1). Deinde, distichum ipsum amplificare, augere, mutare uoluerunt : non iam uersum, sed uersus membrum unum, uariatis pedibus, iterarunt; (2) ita multiplex facta paulatim creuit et adoleuit stropha. Sed hoc timendum erat ne in metris implicatus laboraret auditor et rythmi sensum amitteret ; tum inuenta est antistropha, per quam libertas cum lege, copia cum simplicitate, uarietas cum rythmo conspirare posset.

Melicis parabaseos partibus (etsi perfectorum iam et notissimorum carminum metricam formam imitatus est Aristophanes) populare aliud inesse persuasum habeo, multis ex alio fonte desumptis argumentis fretus. Quoties quidem Græcorum lyricam poesim aggredimur, nihil aliud quam « hypotheses », ut aiunt, fingimus Uirgiliani illius pastoris multum dissimiles qui aiebat :

...... Numeros memini : si uerba tenerem !

Uerba in promptu habemus ; utinam etiam numeros!

(1) Uid. Zielinsk., *op. cit.*, p. 318.
(2) *Ibid.*, p. 319.

Ut ait Longinus, κριτήριον τοῦ ῥυθμοῦ ἐστὶν ἡ ἀκοή. Musicæ tamen artis recentia illa monumenta quibus aures nostræ quotidie strepunt, optimam nobis ad caliginem istam perrumpendam afferunt lucem. Rythmi enim leges non mutabiles sunt, sed apud omnes populos semper sibi constantes. Illi *Nubium* uersus :

Ὑψιμέδοντα μὲν θεῶν
Ζῆνα τύραννον ἐς χορὸν
Πρῶτα μέγαν κικλήσκω, (1)

legenti satis implicati uidentur : glyconicum sustema efficiunt catalecticum ; quodque membrum dactylo uno, duobus trochæis, longa syllaba et interspiratione, id est quatuor pedibus constat. Qui autem diversi pedes in unum congregari potuerunt ? Nihil apertius fiet si illud nobis in memoriam uenerit : multa popularia cantica quæ musici nostri typis fideliter exprimere uoluerunt diuersis « mensuris », id est pedibus constare, ita ut sæpissime parem quatuor temporum rationem impar trium ratio certo ordine subsequatur. Non exempla proferam ne latius euagetur dissertatio mea et in transcribendis nominibus nimis barbarus fiam, sed hoc pro certo habendum puto : apud antiquos haud secus ac nos recentiores omne populare canticum auditu simplex esse, oculis tantum perplexum uideri.

*
* *

Si de uerborum compositione ad res ipsas transimus, similium mutationum ratio habenda est. Bacchi præco-

(1) In κικλήσκω, secunda syllaba ita produci debet ut trium temporum spatium expleat.

nium breui inuocatione ac clamoribus præsertim continebatur, ut ex his uersibus coniicere licet :

Λιμναῖα κρηνῶν τέκνα,
ξύναυλον ὕμνων βοὰν
φθεγξώμεθ', εὔγηρυν ἐμὰν ἀοιδὰν
κοὰξ κοὰξ
ἣν ἀμφὶ Νυσήιον
Διὸς Διώνυσον ἐν
Λίμναισιν ἀχήσαμεν,
ἡνίχ' ὁ κραιπαλόκωμος
τοῖς ἱεροῖσι χύτροισι
χωρεῖ κατ' ἐμὸν τέμενος λαῶν ὄχλος. (1)

Ut primum ille tumultuantis comœdiæ impetus resedit, nullus alius fuit usus uocis apud cantores quam ut Bacchum concelebrarent. Aristophanes ipse Bacchi alumnum se profitetur (2). Pleraque eorum quæ in comœdiarum diuerbiis de « Διονύσῳ » dicuntur, olim in unius carminis contextu colligebantur : ibi gratiæ Nysæo illi agebantur qui hedera et myrto (3) coronatus, noctiuagus, commissationum (4) et saltationum (5) amator, uirginum socius (6), inter delphicas Bacchas rupem tenet conspiciendus Parnassiam (7), aut cum Mænadi-

(1) *Ran*, 212.
(2) ... Νὴ τὸν Διόνυσον τὸν ἐκθρέψαντά με (*Nub*., 519).
(3) *Ran*. 330.
(4) *Ibid*. 218; *Ach*. 264 et 265.
(5) Παίζων χορεύειν βούλομαι (*Ran*. 415).
(6) Ἐγὼ δὲ σὺν ταῖσιν κόραις εἶμι καὶ γυναιξὶν,
οὗ παννυχίζουσιν θεᾷ, φέγγος ἱρὸν οἴσων·
(*Ran*. 444-445).
(7) Παρνασίαν θ' ὃς κατέχων
πέτραν σὺν πεύκαις σελαγεῖ
Βάκχαις Δελφίσιν ἐμπρέπων
κομαστὴς Διόνυσος·
(*Nub*. 603-607).

bus incedit, oculis micantibus (1). Nonnunquam etiam, iocandi causa, et salua quæ hujusmodi religioni inerat grauitas, in turpius laus dei detorquebatur, ut ex *Ranis* apparet, ubi « uentriosus » dicitur Bacchus (2), et cum Xanthia seruo qui sarcinas portans asini dorso superinsidet, lenina pelle indutus, clauamque præferens Herculi risum elicit.

Ea fuit comœdiæ prima ætas. Mox autem aliorum exemplum comici poetæ secuti sunt, qui Baccho ceteros deos in ipsis dithyrambis admiscebant (3) ; in melicis igitur comœdiæ partibus laudati sunt quum rustici, tum omnes totius olympi dii : et Ceres frugifera (4), et Iuno (5) quæ iustis nuptiis præest, et ipsa dearum castissima Diana (6). In *Equitibus*, altera pararabaseos stropha Neptuno, delphinorum regi, aureo tridente

(1) .... ἐπὶ δὲ Νύσιον
ὃς μετὰ Μαίνασι Βάκχιος ὄμμασι
δαίεται.
(*Lysistr.* 1283-1285).

Aristophanes, cui, quoties de Baccho loquitur, non multum in excogitandis rebus sudandum est, sed paratæ et in promptu opes uidentur fuisse, formanda et expolienda priora illa cantica curauit, ut in *Ran.*, 324-337 :

Ἴακχ', ὦ πολυτίμητ' ἐν ἕδραις ἐνθάδε ναίων,
Ἴακχ' ὦ Ἴακχ',
κ. τ. λ.

(2) γάστρων (u. 200).

(3) Uid. pindaricum apud Bergkium fragmentum (*Lyrici græci*, p. 300).

(4) *Ran.* 382.

(5) Ἥραν τε τὴν τελείαν
μέλψωμεν ὥσπερ εἰκὸς·
(*Thesmoph.*, 973-4).

(6) *Thesmoph.*, 971.

conspicuo, cui triremes, equi, juvenum certamina et ipsi Athenienses placent, addicitur : altera sanctissimæ et Uictoriæ amicæ Palladi; in *Nubibus*, altera Ioui, Phæbo altera (1). In *Acharnensibus* Musa et ipsa cantus uirtus, datas olim Baccho laudes obtinet.

Illa fuit secunda comœdiæ ætas ; tertiam dico eam qua poeta, deos deserens, sed grauitatem lyricam plerumque retinens, homines respicit uel laudibus uel cauillationibus eos insecturus. Ita, in *Acharnensibus*, ciues eos laudat qui uirilem Marathone absterserint sudorem et fortes se, hostem persequendo, pro republica præstiterint, nunc autem ab improbis premuntur, criminibus impliciti atque damnati; in *Uespis* extolluntur ei præteritæ iam necnon melioris ætatis ciues qui fortes in choris, fortes in prœliis, nihil timebant dum triremibus nauigarent omnemque operam in præstanda uirtute ponebant.

Eas autem melicas partes satirica uis breui incessit; eas et sale respersit et risu exacuit poeta, in fine præsertim aculeum exserens suum. Ultima illa ueteris comœdiæ fuit ætas, eo incipiens tempore quo prisci quidem compositionis usus retinentur, libertas autem plurima uindicatur ita ut grauia cum lasciuis, humana cum diuinis misceantur. Exemplo sit ea *Equitum* stropha in qua Thumantis aliquis, domo carens, lacessitur :

> καὶ γὰρ οὗτος, ὦ φίλ' Ἄπολλον, ἀεὶ πεινῇ, θαλεροῖς δακρύοισιν
> σᾶς ἁπτόμενος φαρέτρας Πυθῶνι δίᾳ μὴ κακῶς πένεσθαι.
>
> (1270-1).

(1) Ibi Aristophanes Terpandrum imitatur (*uid. Scholiast. in Nub.* 595).

Non senper acutus cum dignitate ut in *Acharnensibus* (699-701) aut in *Uespis* (1098-1101) ludit et sæuit Aristophanes, sed in multo grauiorem incidit procacitatem, poeta minime dignam, quæ mihi, fateor, modo risum, modo nauseam mouet. In alia stropha ultima, lyram dicas, dum canentis uox desinit, repentino luto quasi turpari (1); in alia neque diuinum neque humanum græcam illam linguam sonare. Lepidissima quidem arte, ut in *Pacis* parabasi, deorum inuocatio cum solitis comœdiæ iocis coniungitur : poeta scilicet Musam amice precatur ut secum, bello repudiato, choreas exerceat, deorum connubia hominumque conuiuia et epulas concelebrans ; deinde per ludibrium addit : « Si autem Carcinus uenerit et orauerit ut cum filiis suis choreas instituas, ne obtemperes, neu eorum adiutrix euoles ; sed puta omnes esse coturnices domi natas, saltatores breuiceruicos, statura nanos, caprinorum stercorum ramenta, machinarum inuentores ; etenim dixit eorum pater illud quod præter spem sibi obtigerat argumentum fabulæ, a mustela uesperi strangulatum fuisse (2) ». In Antistropha fit par facetiarum et maledictorum copia, eodem non poetico sed scurrili animo : Melanthium eiusque fratres noster insectatur, « Gorgones gulosas,

(1) ..... ἐγὼ τοὐμὸν νομίζω
γῆρας εἶναι κρεῖττον ἢ πολ-
λῶν κικίννους νανιῶν καὶ
σχῆμα κεὐρυπρωκτίαν.

(*Uesp.* 1067, sq.).

(2) *Pax*, 796.

raiarum ligurritores, Harpyias anuum fututores, impuros, hircum olentes, piscium perniciem », additque: « Eos, diua Musa, screatu magno et largo despue, ac mecum festos dies concelebra » (1). Quæ uix eius carminis digna eius senseris cuius in fronte Χαρίτων τῶν καλλικόμων nomen poeta inscribere ausus est.

Præcedentibus forma illa melicarum partium addi potest quæ neque religione, neque malignitate aut scurrilitate oritur, sed iocus est lasciuientis animi, ludum ipsum magis quam sententiarum grauitatem aut sales consectantis; cui generi præsertim assignanda sunt illa *Auium* canora et quasi alata carmina in quibus aues ipsas in saltibus obstrepentes garrire credas (2) :

Μοῦσα λοχμαία
τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιὸ τιοτὶξ
ποικίλη, μεθ' ἧς ἐγὼ
νάπαισι καὶ κορυφαῖς ἐν ὀρείαις
τιὸ τιὸ τιὸ τιοτὶξ
κ. τ. λ.

* * *

Ne in describendis potius quam explicandis rebus nimis detinear, superiora sic colligam.

Ut primas uoces edidit, cantibus indulsit comœdia.

(1) ὧν καταχρεμψαμένη μέγα καὶ πλατὺ
Μοῦσα θεὰ μετ' ἐμοῦ ξύμπαιζε τὴν ἑορτήν.
(*Ibid.* 815-6).

(2) « Dispereain, iure ait Beckius, nisi hæc a Luscinia canantur pariter atque antistropha : nam et eam ad cantum prouocationem nil uetat et conueniunt illi, ut totius odæ sonoræ argumentum et interiectiones quibus uocem auis imitatur comicus ».

Cantus illi populares numerum et rythmum habebant, quum saltatio eis socia esset; eius societatis auctor est ipse Aristophanes. Quod igitur in melicis recentiorum poetarum partibus par uidetur, ab ingenita canentibus lege ortum est, scriptorum quidem ingenio excultum et temporum ratione amplificatum, sed, si originem respicias, a natura sponte allatum. Nullus est enim sine apta compositione, præsertim si aliquo uel plaudentium, uel iter facientium, uel saltantium motu adiuuatur, cantus. —Baccho primum, omnibus paulatim quum ruris tum Athenarum diis quasi dedicata fuere cantica; eadem nouissime in deridendos homines et in notandos pessimi cuiusque mores, libertas comica uertit.

Epirrhemata ipsa, quibuscum nobis nunc est negotium, quamuis dissimillima et e contrario fonte nata, a melicis partibus legem suam acceperunt.

CAPUT III

DE EPIRRHEMATIBUS

Epirrhematum de origine, opinionem prodidit Zielinskius quæ, ut repudianda mea quidem sententia, ita subtilis et peracuta uidetur, neque omittenda; quam ita paucis referam.

Citharam Apollini, tibiam Baccho ut propriam assignare iure in morem uenit. Uocis simul et chordarum concentum, in unius manibus sonans, altera patiebatur; altera per se tantum ualere poterat, nec cantum illius a quo tractabatur admittebat. Eum qui et tibia uti et cantare cupiebat, præludere prius, tum assa uoce cantum edere necessere erat; qui mos apud pastores ualuit. Quum autem unus et alter pastor conueniebant ut canendi et tibiæ tractandæ arti indulgerent, amici certaminis instituendi causa, species ea compositionis quæ amœbæa dicitur sponte illis sere offerebat, ita ut uniuscuiusque ludus totum aliquid efficeret. Sic prima « syzygiæ » forma apparuit : præludendo scilicet atque assa uoce deinde canendo rationem prior musicus aliquam sequebatur quæ cum odes et epirrhematis coniunctione conferri possit; posterior uero antodes atque antepirrhematis, si dici potest, paritatem referebat.

Nulla est uerisimilior origo ex qua ortam esse putes epirrhematicam illam compositionem. Inter eos usus et comœdiæ ipsius partes plurima quidem distant; popularia autem sunt cantica per quæ ex aliis ad alias quasi transitus fieri potest. Exemplo sit illa in *Acharnensibus* inuocatio (1) qua Diceopolis scurrilem suam agit pompam et ubi grauioribus uerbis, lyricum sonantibus, remissiore ac pæne pedestri habitu interponuntur carmina, ita ut canticum illud sine intermissione legenti et uniuersum æstimanti, alia e canentis ore, alia e simpliciter loquentis profluere uideantur. Quibus addi nonnulla possunt, ut ille χελιδονιζόντων cantus (2) in quo duas partes discernas : quarum altera ante uniuscuiusque ostium eodem semper modo decantabatur, altera extemporalis et uaria erat.

Nihil opinione illa lucidius est, nihil speciosius, nihil etiam quod pro explorato et certo habere minus debeamus. Primum e quietis illis pastorum ludis turbulentum et procacem comœdiæ habitum uenisse, satis multum admirationis habet; deinde canticorum quæ Zielinskius retulit, elocutione quidem et metro diuersæ sunt partes, sensu autem aut certe colore pæne similes : epirrhema uero cum ode, si et sermonis genus, et sententias, et loquentis aut canentis animum respicias, quis conferre audeat ? tutiorem uiam, quanquam probabilia probabilibus refellere importunum sit, uide-

(1) *Loc. præcit.*
(2) Uid. apud T. Bergkium PLG III, 671.

bimur ingredi, si duas res diuersas e duobus diuersis principiis pendere arbitremur.

Bifronti similis nascens erat comœdia : utroque uultu hilaris quidem et impudens, sed altero Bacchum, altero mortales intuens, altero religionem, altero malignitatem significans. Pars enim erat rusticæ festiuitatis facetiis, cauillationibus et grauissimis conuiciis referta, qua lasciua rusticorum turba quemlibet insectabatur. Quemadmodum dolor et miseratio in uita plerumque consociantur, ita gaudium sine aliqua ceteris illudendi libertate non uidetur plenum fieri posse. Græcorum etiam ingenium, felicius Romanis qui satiram tantum « totam esse suam » profiteri poterant, quum grauitate in extollendis sublimibus rebus, tum subtilitate in deridendis turpibus, semper se conspicuum dedit. Turpium autem imaginem consequi et exagitare, id fuit, ut ait Aristoteles, comœdiæ principium, ea prouincia. Concesso ac precario festorum dierum iure freta, plebs, lætitia exsultans, eos per ridiculum imitabatur aut uerbis irridebat qui uel corpore, uel mente, uel moribus detorti erant ; potentiores ea mente inuadebat qua pauper diuiti, operarius inerti, ingenuus ciuis aduenæ, uictus uictori plerumque inuidet ; nec mirum, si apud quosdam, ut Megarenses (1), longum patriciorum ac plebeiorum fuisse certamen memiris. Quod scribit Platonius, quanquam ad recentiorem ætatem pertineat, ad comœdiæ initia referri potest :

(1) *Uid.* Croiset, *libr. præcit.* II, 152.

« .... ἄδειαν οἱ τὰς κωμῳδίας συγγράφοντες εἶχον σκώπτειν καὶ στρατηγοὺς καὶ δικαστὰς τοὺς κακῶς δικάζοντας καὶ τῶν πολιτῶν τινὰς ἢ φιλαργύρους ἢ συζῶντας ἀσελγείᾳ » (1). Aristoteles ipse nos docet ἀπ' ἰαμβείας ἰδέας comœdiam profectam esse (2). Quum ait poeta : « βουλόμεθα σκώπτειν Κλεοβοῦλον; » ad usum antiquum uidetur sese accommodare. Uerbum illud σκώπτειν quo grammatici et poetæ simul utuntur quodque in Aristophanis uersibus sæpius recurrit, cum eo in media Gallorum ætate usitato conferre possis, « *gaber* » scilicet, quo scurrilitatis et commenticiæ malignitatis admixtum aliquid significabatur. Atticorum enim lusus recogitanti, in mentem ueniunt etiam illi adolescentes, uerbis tenus inuerecundi, qui apud nos olim, non repugnantibus Ecclesiæ ministris, missam ipsam corrupta latinitate coram asino concelebrabant. Quum ita ingemit *Uesparum* chorus (3) :

Οὐκέτι πρεσβυτῶν ὄχλος
χρήσιμος ἔστ' οὐδ' ἀκαρῆ·
σκωπτόμενοι δ' ἐν ταῖς ὁδοῖς
θαλλοφόροι καλούμεθ', ἀν-
τωμοσιῶν κελύφη,

legentis animo obuersantur illi equites, in scurrilibus maiorum nostrorum « gestis » decantati, periculorum et nouitatis amantissimi, quos populus, dum per compita incederent, risu et iniuriis prosequebatur.

Σκώμματα autem sunt epirrhemata; uim satiricam

(1) Apud Didot. *proleg.*
(2) In *Poet.* VI.
(3) u. 540-546.

et « iambicos » ut ita dicam, mores, agnoscendos præferunt. Non minus ergo antiqua æstimari debent quam cantus illi de quibus supra dixi. Sed eorum excultam et politissimam formam nunc habemus ; priorem minimi leporis ac pæne nullius artis fuisse scimus. « Risus ille megaricus » in prouerbium uerterat ut inelegans, nimis inurbanus ac summæ impudentiæ ut ex illo Eupolidis (1) uersu patet :

τὸ σκῶμμ' ἀσελγὲς καὶ Μεγαρικὸν σφόδρα·

nec omittunt attici poetæ, quum spectantium animos allicere gestiunt, ut se megarensium mores (aut megarensis fabulæ ut quidam uoluere) non secuturos profiteantur (2). Ἄμουσον eumdem risum ait Scholiastes (3); imo, eam comœdiæ partem non poetici numeri legibus uinctam fuisse ac diu uulgari et fuso sermone expressam fuisse constat. Cantibus ut interludium admiscebatur ; attici agricolæ extemporales ebrii animi impetus secuti, incompositam ipsam facetiarum et iniuriarum seriem pro gaudio habebant.

Duabus igitur partibus prima comœdia constitit : quarum altera, cantum dico, ordinem et rythmum, id est elegantiam et artem in se, ut quidquid musicam formam induit, habebat ; altera autem, — iocularia ea dico nullo religionis ac superioris uitæ respectu temere profluentia, — incomposite sese efferebat. Duas res natura dissimillimas, sed usu contiguas, communi

(1) In Προσπαλτίοις.
(2) *Uesp.* 54, 59.
(3) *Ibid.*

quadam arte connectere et in unius compositionis societatem recipere, id fuit primum comici ingenii opus. Sparsa igitur illa cauillantium uerba in oratiunculas congregata conuenerunt quibus melicæ partes ordinem et numerum dederunt suum. Kœsterio placuit epirrhema primum ortum esse ; antepirrhema autem satis multo post. Argumenti causa proferebat ille *Thesmophoriazusarum* uersus (830 et sq.) ; sed hic locus non integer est. Epirrhema et Antepirrhema nihil aliud sunt quam eadem materies, ad odes et antodes instar distributa.

Quam opinionem ut defendam, illud mihi concedi uelim : quum duæ res contiguæ sunt et usu consociantur, illa quæ per se ualentior est, alteram sui quasi iuris facit, moribus propriis imbuit, legibus suis adstringit. Quis autem cantica neget totius comœdiæ non modo originem sed delectationem præcipuam primum effecisse et plus loquacitate aut etiam simplici uersu apud aures nostras ualere ? Animaduersum est iam in Æschyli, Sophoclis et Euripidis fabulis diuerbia ipsa non temere currere, sed partibus constare ratione aliqua collocatis et fere idem temporis spatium habentibus, ita ut altera alteri ut stropha antistrophæ respondeat. Idem in ea de qua loquimur comœdia euenit. Cantus garrulitatem bacchantium a latius euagandi licentia cohibuit, dissolutamque et inconditam, ut communem illam quotidianæ uitæ, castigauit, poliuit, altius extulit, et ut ita dicam, propriis alis subleuauit. Eam primum aliquid delectum habere iussit, et pedibus apte cadentibus inceden-

tem in poetici numeri dignitatem erexit ; postquam numerosa facta est, ei μεγέθος τι, id est mediocre aliquid dedit, et terminos quibus septa teneretur : eamdem ut sociam recepit, pro comite habuit, in sinu suo fouit. Lex est accepta ; et ne quid post antoden desideraretur, quæ iam in cantico, eadem in epirrhemate fuit paritas. Sic uitis arboris cuiusdam ramis ramos suos crescens consociat : utriusque diuersa quidem radix, idem uero est habitus ; cœlique eiusdem lumine fruuntur.

*
* *

Epirrhemata, quod ad sententias pertinet, fere eamdem fortunam habuere, et ob easdem causas quam cantica mutauerunt. Sal omne comici carminis primum illa continebant; sed quum adulta comœdia absolutæ fabulæ speciem petiuit, quod in seposita parte prius inclusum erat in totum opus erupit, et epirrhemata, non iam cauillationibus reseruata, libertatem quamdam habuere. Mitigatus est etiam priorum temporum animus, et uestigia illa ruris pæne euanuerunt. Subtilior in excogitandis facetiis quam asper in notandis uitiis fuit Magnes (1) ; ad priores usus, atrox et Archilochi æmulus regressus est Cratinus (2) : inter utrumque medium tenent poetæ

(1) *Equit.* 520.

(2) ... ἁπλῶς, ait Platonius, καὶ κατὰ τὴν παροιμίαν γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τίθησι τὰς βλασφημίας κατὰ τῶν ἁμαρτανόντων (*apud Didot.* in *Proleg.* II). Uid. etiam notissimos *Equitum* uersus (526 sq.) et apud Kockium, fragmentum 186.

nostri epirrhemata, humanitate interdum quam acerbitate magis conspicua.

In *Acharnensibus* (1) non modo adulescentulos et loquaces causidicos, ut Cephisodemum, insectatur qui circulatoriæ garrulitatis laqueis optimos ciues impediunt, sed ad lenitatem et misericordiam ac pæne lacrymas uersus, poeta senes illos induciteisque patrocinatur, qui Athenarum olim fortissimi defensores, nunc ad lapideum tribunal præ senio balbutientes, baculo innixi, ludibrio habentur. In *Equitibus* grauissimum lyrici carminis ingenium epirrhemati addit, quippe qui Phormioni, ut uidetur, alludens (2), majores eos laudibus extollat qui hostium numerum nunquam curabant, quique, si forte in humerum cecidissent, negabant se lapsos esse, et, puluere absterso, denuo luctabantur, digni prorsus « qui in peplo pingerentur » (3). In fine autem aculeum exserere solet poeta : « nec eorum, ait, qui antea ducebant exercitus, ullus uictum sibi publice præberi petebat, compellans Cleænetem (4) ; at nunc, nisi prærogatiuam sedis obtineant et cibum publicum, negant se pugnaturos ! ». In ultimis etiam posterioris epirrhematis uersibus, « cancri corinthii » mentionem facit (5).

(1) *u.* 676 — 692 ; 791 — 719.
(2) cf. Thucydidem II, 90 sq.
(3) *u.* 565 — 581.
(4) Uelut si Cleænetes, Cleonis pater, eamdem olim potentiam quam nunc ipse Cleo habuisset.
(5) Sic apud Germanos Dani sæpius, iocandi causa, cancri uocantur. Batavi etiam apud nos ranunculis non semel comparati sunt.

Nubium autem epirrhemata plus crudelitatis habent. Scilicet quum Athenienses inuisum illum coriarium Paphlagonem exercitui præesse uoluerunt, supercilia Nubes contraxerunt indignatæ, tonitrusque (tanquam apud tragicos !) erupit ; solitas luna deseruit uias et sol lucere uelle statim negauit ! « Si Cleonem, ait, uoracem illum larum, sordium et furti damnatum capistraueritis euisque ceruicem neruo constrinxeritis, rursus in pristinum nobis et in melius ea res, errore purgato, reipublicæ cedet ». In altero epirrhemate, lepos inest quem utinam sententiarum aut uerborum sordibus nunquam corrupisset Aristophanes. Hyperbolus, ad Amphictyonum conuentum sorte missus, coronam illam casu aliquo amiserat quam gerebant quicumque sacrum ministerium exercebant ; huius autem rei causam sic adfert poeta : Athenienses falsam dierum rationem habent, ita ut dii, quum tempora computantes ferias suas uisere uolunt, peractis iam solemnibus interueniant, cœna fraudentur debita, et sacra non adepti recedere debeant ; ex quo irati suam Hyperbolo excussere coronam. — In *Uespis*, ne ullum quemquam nominatim mordeat, populo blanditur, magnificam simul et lepidam ciuium Atheniensium imaginem exprimendo : « nos, quibus aculeatus est podex, attici sumus, uera et sincera nobilitate soli insignes, indigenæ ;.... hasta et clypeo pugnam cum hostibus conseruimus, ira proluti acri, uir iuxta uirum stans et præ iracundia sibi labra mordens ;.... deinde fugientes eos insecuti sumus, tanquam thynnos pungentes in bracas..... ». Eadem laus in antepir-

rhemate expromitur, « fucis » tantum exceptis eis qui inter ceteras apes sedentes, aculeo nullo, alieni laboris fructum comedunt otiosi. — In *Auibus*, ea figura utens quæ diuersas sententias iisdem uerbis, unius aut paucarum litterarum mutatione, alligat, quorumdam noster ridet originem, ut Σπινθάρου, qui in Phrygia natus dignus est φρυγίλοις (auium scilicet generi) consociari ; aut Execestidis qui seruus e Caria ortus, πάππους (quod auos simul et aues significat) apud uolucres inuenire possit ; ridet eos qui choris adstantes fame aut turpi aliqua necessitate laborant ; ridet Diitrephem qui ex humillimo loco, magnus et fortunatus (ἱππαλεκτρυών) euasit. In his iambicæ malignitatis ac priorum iocorum agnoscimus exemplaria ; ne miremur autem illis festis diebus quibus urbs tota uirtutis suæ conscia, præteritæ laudis memor, adstantibus magistratibus ac deo ipso, per cuneos theatri strepebat, licentiam comicam patrium aliquid et masculum affectasse, et poetam, marathonium quasi pæana aggrediendo, Tyrteis potius quam Archilochis nonnunquem annumerandum uideri. Patriæ splendore omnia tum erant plena, in patriæ laudem, chorus florentissimorum iuuenum primorumque ciuium sponte arrectus ; patriam, ut ita dicam, omnia sonabant : incallidus et ineptus tiro uisus esset Aristophanes, si, omnium exspectationi impar, in ipso scurrilitatis æstu non ea attigisset quibus exsultat multitudinis animus.

Illis ergo duobus principiis comoedia stetit et ex musica arte prima incrementa primumque duxit im-

petum. Chorum una inter ceteras gentes græca habuit; chorus est qui ad se, quidquid extra cantum erat, ui propria traxit, eique, quatenus rerum natura licebat, formam aut legem imposuit suam. Inde omnia, non delectationis aucupio aut concinnitatis affectatione, sed quadam necessitate (Musis, addendum, non refragantibus) orta sunt; comœdia enim, si Zielinskio credendum est, (nec meum est talia hic expendere) epirrhematicam compositionem, ut structuram suam fingeret, sumpsit et amplificauit. Totius comici operis, is est fons et caput: sibi constans ac bene numeris definita rusticæ alicuius uocis modulatio. Si autem in melicis et epirrhematicis partibus expressas sententias inspicimus, græci ingenii sollertiam, splendorem, uarietatem — non omissis sordibus et næuis — uelut in speculo habemus. In lyrico primum carmine, quamuis uiuo e fonte exundet, priorum poetarum artem imitatur et in se iocando colligit Aristophanes. Eius enim poesis, ut ceterorum Atticorum, non ea est quæ, semper elata et grauis, captet sublimia, in nubibus immoretur, et splendore imaginum, amplificatione et translatione uerborum, omnes sententias in quamdam uelut arcem extollat unde nulli, nisi per arcana et abrupta incedenti, aditum ad se permittat; multiplex contra et mutabilis est, seueris leuia, sacris profana, honestis indecora miscens, facili plerumque et populari uultu, supercilio nullo, iocosa simul et prorsus humana, aliquid uiuidum et promptum semper præferens, omnibus uitæ partibus accommodata et e communi usu farraginem suam ducens,

denique comœdiæ ingenio maxime congrua, quæ, natura duplex, tum altius euolat, tum humi obrepit aculeata et ad pungendum arrecta. Eadem nos ad melius intelligendum informat lyricorum longe principem Pindarum qui non semper in mythis aut e sapientum sacrario arcessita doctrina desæuit et ampullatur, sed amicos, æmulos, res uirosque circumstantes respiciens, adeo commode loquitur; admixta nescio qua sereni et lepidi animi iucunditate, ut Socrati apud Platonem, imo concionanti Demostheni nonnunquam similis esse uideatur. Et Archilochum quem «odiis opimum et pinguem» dixerunt, et Anacreontem cui facetum et molle Gratiæ annuerant, et Alceum Tyrteumque consociauit Aristophanes.

De epirrhematibus fere eadem dici possint. Quorum fortunam et progressum si amplecti uelim, (ita enim præcedentia colligam) uidere mihi uideor plebeium aliquem sortis ultimæ, uinolentum diu ac sui impotentem, qui patricia sustentatus manu, animum recipit suum graduque incedit æquo et iam curat

...... quidquid dignum sapiente bonoque est

CAPUT IV

DE ANAPÆSTIS.

Transimus ad eam parabaseos partem quæ lectorem hodie longe aliter quam ceteræ commouet, eumque, ut aliquid prorsus anomale, in satis magnas ducit existimationis angustias : cum fabulæ scilicet contextu repugnant anapæsti, et cum canticis aut epirrhematibus ne minimo quidem uinculo coniunguntur. Antequam de iís dicam quod sentio, non superuacuum erit recentium grammaticorum opiniones breuiter referre.

Parabasim totam, omni inter eius partes discrimine remoto, primam esse comœdiæ formam arbitrantur Kolsterius et Hornungius. Quæ opinio cur quantum absit quin fidem faciat, iam antea dixi, nec in ea diu immorandum est. In eo errat quod incipienti arti, maxime implicatam formam adsignat. Eorum qui generis alicuius fundamenta ponunt simplex est animus ; simplicitatem uero in parabaseos structura agnosci non sinunt anapæsti.

Quos contra posterius creatos esse putat Kockius, sed una cum epirrhematibus in comœdia semper *interludium* fuisse : « statuo parabasim, scribit ille, insita quadam necessitate natam esse ». Comicus poeta non tantum risus elicere, sed mores castigare gestiebat.

Telorum autem quæ in malos homines aut in prauos usus per totam fabulam detorquebat, quædam superant, operis argumento parum apta, et idoneum locum nusquam habentia. Præterea, quum publico quasi munere fungeretur poeta, nonnulla de se, de suis commodis necnon de inimicis habebat, quæ prioribus adderet ; quæ omnia in interludio solum, scilicet in chori canticis, collocari poterant, seu ante stropham, seu inter stropham et antistropham, seu post antistropham ; illos tres locos, nullo excluso, obtinuere. Quod igitur inter stropham et antistropham positum fuit eamdem compositionis legem accepit ; quod autem ante stropham, liberum et quasi disiunctum per se stetit. — Sic Kockius ; fere eadem rerum confusio hic quam supra deprenditur ; si enim epirrhemata et anapæsti eadem sunt materia, cur sensu et metris differunt ?

Eas Kockii partes acriter defendens Agthes, tanquam mus in matella satagens multam sibi operam dedit ut parabasim interludium esse demonstraret. « Non aliter fieri potuit », ait ille, rem a priori diiudicans et precariis fretus argumentis. Adsentitur Kolsterio scribenti : « tum demum locum parabasis habebit, ubi finita parte fabulæ spectatori aliquo tempore opus est ut a ridendo animum remittat ». — Optime quidem uideo parabasim in Aristophanis comœdiis interludium esse ; unde tamen orta sit illa « necessitas » melicis partibus oratiunculam ad spectatores adiungendi minime uideo ; cur eadem ante Aristophanem aliam sedem non obtinuerit ? Agthis quidem opinioni auxilium subministrare uidetur

Pollux (1) qui ex Euripidis *Danaidis* canticum refert in quo de poeta ipso, ut in parabasi, chorus uerba facit ; addit etiam Pollux Sophoclem ipsum, Euripidi aduersantem, nonnunquam (σπανιάκις) ea libertate, ut in Ἱππόνῳ, usum esse. Plura, hercle, sunt exempla quæ his adiici possint. Quis enim nescit multos esse locos quibus Euripides, aut mulieribus infensus, aut Anaxagoræ philosophiam expromens, incœptæ actionis immemor fiat, et se quasi personatum inducat ? (2) Quibus autem cum parabasi similitudinem esse aliquam is tantum credet qui utraque per transennam adspexerit. Ne uitia tragœdiæ in deterius inclinatæ cum florentissimæ comœdiæ moribus inconsulto misceamus. Nil tragœdiæ et comœdiæ commune est si res ipsas perpenderis non uana specie delusus. Quæ alterius fortuita aut sera licentia est, in altera uim apertam et iustam habet, moribusque antiquis nititur.

Cum prioribus multum differt Zilienskius. Pæne ridet eos qui in perlustranda parabasi (anapæstis scilicet) nimium tempus consumunt, et eam minime cordi habet ; ut enim magnam uim exemplorum et argumentorum in ceteris explicandis comœdiæ partibus affert, ita in ea ieiunus ac pæne nudus fit. Anapæstos interludium fuisse non concedit. Quam ob causam, ait, fiebat illa, in media fabula, actionis inter-

(1) IV, III. cf. Athenæum, XIII, 592 b, et Aristotelem de Agathone loquentem (περὶ ποι. 18)

(2) Uid. *Hecubam*, 611, *Iphigeniam in Aul.* 919, *Supplices* 241, *Orestem* 911, etc....

missio ? ut spectaculi apparatus mutari posset ? in ea autem fabulæ parte quam præcedit parabasis, non semper mutandi apparatus fit necessitas; — ut actoribus nouas uestes induere aut spiritum interquiescendo recipere liceret ? uno aut altero cantico, nihil extra solitam formam excogitans, poeta facultatem eam optime dedisset; — ut spectatores, animum remittendo, ludum comicum non moleste ferrent ? Quod poeta parum uidetur curare, qui his uerbis utatur : νῦν αὖτε λέῳ πρόσχετε τὸν νοῦν. — Funditus ergo euertenda est grammaticorum opinio. Non interludii, sed epilogi uicem explebat parabasis; uerbum illud παραβαίνειν, quid aliud quam peractam esse fabulam significat ? illud « ἀποδῦναι » non subintelligi uult choreutas sese ad saltationem expedire, quia iis locis aliquando adhibeatur ubi chorus (ut in *Lysistrata*) actoris partes et officium uirile defendat ; peracto contra spectaculo idem uerbum, ut παραβαίνειν, aptissimum uidetur fuisse. Quum pars noua comica prioribus addita est, remansit illud ἀποδῦναι, cum operis contextu non iam consentaneum, sed usu quasi protectum. Quod si concesseris, non in tantum dignitatis gradum extollenda est parabasis, nec tanti habenda; eam ipse Aristophanes ut aliquid ab re quam agebat alienum habuit. Quare ne miremur parabasim, ut primum ars scenica, pro augustia rerum, sumptibus suis modum facere debuit, sublatam esse.

Habent sua paradoxa grammatici. Anapæstos contemnentem interrogare possumus : qui fieri potuit ut aliquis publico munere fungens, omnium exspecta-

tione et summa libertate fretus, populum eum penes quem potestas erat maxima allocutus fuerit, nec eius uerba, uellet nollet, plurimum momenti ac ponderis habuerint ? Qui fieri potuit ut apud ciues Athenienses, in eo theatro quod aliquid forense habebat, ulla publicarum rerum mentio, ut ignis incassum frondibus admotus, frustra facta fuerit ? Quis unquam exstitit poeta qui uel in præfatione, uel in prologo, uel in cuiuscumque modi oratiuncula aut scripto sua ipsius negotia et commoda frigide ac quasi inuitus defenderet ; de sua fama, laude, arte et consiliis, sine motu et intentione animi dissereret ? Qui neglegentem fuisse putat in scribendis anapæstis *Equitum* auctorem, parum nouerit Atheniensium, hominum, imo poetarum ingenium.

Consideranti autem et nomen illius qui loquebatur, poetæ scilicet magistratibus ciuitatis protecti et pæne sacrosancta dignitate induti, et locum in quo contionabatur, theatrum diuina ara ornatum, et quibus circumstantibus, quo die, de quibus rebus ; excogitantique Aristophanem *Nubium* aut *Acharnensium* carmina per coryphæum recitantem, ueniunt in mentem ea Ciceronis notissima : « quid est aut tam admirabile quam ex infinita multitudine hominum existere unum qui id quod omnibus natura sit datum, uel solus uel cum paucis facere possit ? Aut tam iucundum cognitu atque auditu quam sapientibus sententiis grauibusque uerbis ornata oratio et perpolita ? » Magnam denique significationem habent illæ leges quæ sæpius

de parabasi latæ sunt (1), uelut si indomitæ belluæ quæ sese in comœdiis iactaret manum et frenum admouere uellent. Quoties ipsa illata decreta fraude subterfugit aut in ludibrium aperte uertit !

Scio equidem sæpius errare qui res antiquas cum præsentibus nimis sedulo componunt : unum tamen addam. Nonne recitationes eas quibus alicui fabulæ in parisiensibus hodie theatris præluditur, arrectiore animo quam ipsam tragœdiam aut comœdiam, si notus prodierit orator, nonnunquam accipimus ? Nonne loquenti tum præsertim plausu aut risu fauemus quum nonnulla de suis ipse moribus ingenuus aut cautus profitetur, uel ad publicæ uitæ recens factum, leuiter alludens, respicit ? Iisdem animi motibus, ac multo grauioribus, reor, parabasis Athenienses commouere debuit.

Anapæstos, uelut ciuitate exclusos in ultimas partes relegat et aliquandiu epilogum fuisse uult Zielinskius. Quam opinionem prorsus controuersam esse iam doctissimi probauerunt. Anapesticum enim metrum multo magis uiam facienti quam consistenti conuenit ; præterea, quam indecorum comœdiæ finem dedisset chorus ueste sua exutus !

...Moueat cornicula risum
Furtiuis nudata coloribus ....

Eosdem fatetur ille aut in comœdiæ fine, aut in eius prooemio reponendos esse : ultimum illud tanquam magis ueri proximum amplector et defendendum suscipio.

(1) Tam multa fuere apud nos de scribendi licentia.

*
* *

Sunt fragmenta comicorum, a grammaticis nobis tradita, dubia quidem, sed non omittenda, quæ procemium primæ comœdiæ non defuisse uidentur significare. Ab antiquis poetarum moribus sese deflectere profitebatur, credo, Epicharmus quum, aiebat (in uersibus ab Hephestione seruatis) :

οἱ τοὺς ἰάμβους καττὸν ἀρχαῖον τρόπον
ὃν πρᾶτος εἰσαγήσατ' Ἀριστόξενος...

Apertior est Ecphantides quum ait se « megarenses » fabulas iam fastidire ac pudentem repudiare (1).

Illa etiam Susarionis sunt egregia :

Ἀκούετε λεῴ· Σουσαρίων λέγει τάδε
υἱὸς Φιλίνου Μεγαρόθεν Τριποδίσκιος.
Κακὸν γυναῖκες, ἀλλ' ὅμως, ὦ δημόται
οὐκ ἔστιν οἰκεῖν οἰκίαν ἄνευ κακοῦ...
καὶ γὰρ τὸ γῆμαι καὶ μὴ γῆμαι κακόν (2).

Uersus illi in quibus poeta ipse loquitur et infelicem rem suam familiarem apud populum queritur, merum antiquitatis saporem habent, et, quanquam trimetri sint iambici, anapæsticum sermonem, ut ita dicam, redolent. Eos e prologo (qualis in recentioribus fabulis exstiterit) detortos esse puto. Cur autem prologum prior comœdia habuerit, his causis mihi persuadeo.

a). Nouitas omnis præmonitionem aliquam poscit. E diuersis exemplis atticos poetas antiqui moris satis tenaces fuisse constat, et quoties aliquid immutarent,

(1) Apud Kockium fr. 2.
(2) Meinecke, *com. gr.* uol. II, I, p. 1.

cautos se præstitisse. In fragmento ab Hephestione relato anapæsticum metrum paulo mutatum ἐξεύρημα καινὸν Pherecrates uocat; et in *Uesparum* exodo, Aristophanes se saltantem chorum contra morem non instituere uelle declarat: quo magis cauere debuerunt poetæ, quum non næuum aut crepundias sed ipsum comoediæ corpus, fabula et argumento utendo, euerterent, ut tutiorem uiam suam, præmonendo spectatores, facerent.

b). Adde populares strepitus plebis quæ, maxima festiuitate elata, exlex et in tumultum libenter prona (1), ut Romani Saturnalibus diebus summa libertate fruebatur et per clamores theatrum inuadebat. Si plausum semel poeta retulisset, precariam ei laudem leuissimum illud multitudinis ingenium quod uenti et auræ cient, dabant. Ταχυβοῦλοι (2), μεταβοῦλοι (3), ἐπετεῖοι (4) erant Athenienses; præstantissimum quemque, si consenuisset, (hoc per Aristophanem scimus), prætermittebant aut maligno stridore excipiebant.

c). Ipsa ceterum comoedia, ut primum Atheniensibus se conspiciendam dedit, pæne infamis erat, quippe quæ subrusticam adhuc artem nec excultas fabulas, ut tragoedia, protulerat. Illa etiam Φαλλίκα et omnem eam turpissimarum facetiarum farraginem, pessimæ tantum populi parti primum placuisse credamnus; ex

(1) Uid. Demosthenem, Κατὰ Μειδίου, 14.
(2) *Ach.* 630.
(3) *Ibid.* 632.
(4) *Equit.* 518.

quo euenit, reor, ut summis ciuitatis magistratibus comoediam scribere non fas esset. Poeta igitur in satis lubrico loco uersabatur. Ut spectantium fauorem emereretur, ut silentium faceret, ut præiudicatam de se opinionem dissolueret, fuit ei procurandum. Quid autem ei melius erat quam id, quod afferret primum enuntiare et se non circulatorios iocos sed aliquid optimis ingeniis dignum et ipsi reipublicæ utile dicturum declarare ?

d). Illud etiam ex animo nostro ne excidat, comicum poetam apud atticos, non, ut recentiores, meram uitæ humanæ imaginem describere uelle, sed eo semper spectare et tendere ut audientes ad opinionem certam inclinet, id est ut propositum aliquod, thesim uno uerbo, ut aiunt philosophi, in bono lumine collocet, disputatione apta excutiat, omnibus animis inculcet : quum arcendum esse bellum, tum ab oratoribus plebem deludi, populum miserrimum esse, sophistarum artem aut poetarum præstigias nihil aliud quam pestem aut inane uerborum tintinnabulum esse. « Cum apud Racinium Molierumque, personarum uel uiuidis affectibus uel ridiculis moribus scenæ illæ præcipuæ impleantur, apud Aristophanem contra nihil altius eminere comperimus quam ipsam illam certi propositi discussionem quæ scholam prorsus aliquam, nisi sermo iocis plerumque distinctus sit, non dedecere uideatur ; ita ut in hoc ipso maxime manifestum fiat quam uere comoedia nostra ἠθική, Aristophanis uero comoedia ἀγωνισ-

τική dici possit (1) ». Ex eo fit comicam artem aliqua parte eloquentiæ similem esse nec a forensi certamine multum remotam ; ut orator apud iudices acturus prodit poeta.

Quibus ex causis prologum eo tempore apparuisse puto quo non mera cantica aut epirrhemata, sed fabulam diuerbiis contextam attulit comoedia. Eo uti debuit ut aditus sibi ad turbæ aures faceret, eamque sibi accommodatiorem redderet. Fuit iam equidem tempus, præcipuum in artis historia, quo chorus canentis turbiculæ locum et uicem excipiens, ficta uesta indutus et personam agens, non id tantum propositum habuit ut ruris deo gratias alacriter redderet, sed circumstantibus per se spectaculum fieret. Tum primum quæ dici potest comœdia incœpit, simulque præmonitionis alicuius forsitan intellecta est utilitas. Nullus est enim in circulo plebeio uel minimus scurra qui auditorum animos, priusquam res ipsa agatur, paucis uerbis non arrectiores faciat. Prologos tamen tum præcipue scriptos esse arbitror quum poeta excogitati argumenti nouitatem comœdiæ addens, nouam uiam indagauit, et se non plebeiæ tantum fæcis, sed optimi cuiusque delectationem quærere professus est.

Inter autem anapæstos et illa proœmia quæ, quum in latinis, tum in nostris litteris inuenimus, permulta sunt similia ; quæ similitudo melius nos quam insulsi grammatici testimonium aut subobscura lapidis inscriptio

(1) De personis apud Aristophanem (A. Croiset, Paris 1872).

docebit. Non nescius quidem sum inter Aristophanem et comicos latinos plurima differre : omnes Athenienses euisdem iuris erant et eorum quiuis æqua libertate utebatur ; Romani sub paucorum dominatione uiuebant, nec scribam aut histrionem se altius gerentem et de summis reipublicæ negotiis uerba in theatro facientem « spiritus illi patricii » tolerassent. Sunt autem nonnulla quæ conferre possimus.

1° *Silentium* in anapæstis exposcit Aristophanes, ut etiam Cratinus in eo fragmento (1) :

Σιγὰν νῦν ἅπας ἔχε σιγὰν
Καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσει.
Ἡμῖν δ' Ἰθάκη πατρίς ἐστιν,
κ. τ. λ.

Sic Plautus :

...Ita huic facietis fabulæ silentium
(*Amph.* in pr. 15).
.. Nunc animum aduortite
Dum huius argumentum eloquar comœdiæ
(*Ibid.* 95).
Silete et tacete, atque animum aduertite (2)
(*Penulus*, in pr. 3).

Pleraque etiam *Misteriorum*, apud maiores nostros, prologo incipiebant ab actore recitato qui fabulam aut scripserat, aut digesserat, uocatus « l'acteur », uel « le protocolle, le porterolle, le meneur du ieu » (3). Ille

(1) Ὀδυσσεῖς (apud Meinecke, fr. XV).

(2) Cf. *Trinummum* (5 et 22 in pr.) *Casinam* (ibid. 29) *Asinaria* (ibid. 6).

(3) Uid. Petit de Julleuille, *les Mistères*, I, p. 246. — Fabulæ breuis expositio uocabatur sæpius « *Monstrado* ».

spectantes docebat qua ratione fabula constaret, quo animo et quem in finem scripta ; deinde sui ipsius patrocinium suscipiebat ut maleuolis linguam retunderet : silentium in primis petebat, ut in illis : « Ludus uobis sit gratus, et nobis agendi date potestatem...... Quisque suam usque obtineat sedem ut melius fabulam audiat. Dei et nostrum gratia placidi maneatis ; unius tantum oris silentium cuique est procurandum » (1). Sæpius enim illud repetitur :

Chacun n'a que sa bouche à taire.

2° De populi *leuitate* queritur Aristophanes, eiusque *beneuolentiam* et *iustitiam* flagitat. Magnetem memorat, qui, quanquam uictorias multas reportasset, senior eiectus erat ; Cratinum, qui maxima e laude delapsus, obambulabat senex, despectui habitus, et « aridam coronam gerens » ; Cratemque qui plurimas a populo uexationes pertulerat. Quam sortem a se auertere poeta gestit, plausumque ingenue poscit (2) :

Αἴρεσθ' αὐτῷ πολὺ τὸ ῥόθιον, παραπέμψατ' ἐφ' ἕνδεκα κώπαις
θόρυβον χρηστὸν ληναΐτην,
ἵν' ὁ ποιητὴς ἀπίῃ χαίρων.

Quibus addi possunt et illa *Ecclesiazusarum* carmina, parabaticam speciem prorsus habentia, quibus ait : « Ne mihi obsit quod ductis sortibus primus prodierim ; iudices decet, horum omnium memores, seruata iurisiurandi fide, de choris semper ex merito

(1) *Moralité du bien Aduisé et du mal Aduisé.*
(2) In *Eq.* 546.

sententiam dare, neque improbarum meretricum morem imitari, quæ semper postrema tantum benefacta in memoria habent » (1). Minacior est Pherecrates qui, si æquos iudices non habuerit, se acerbiorem fore declarat :

... τοῖς δὲ κριταῖς
τοῖς νυνὶ κρίνουσι λέγω
μὴ 'πιορκεῖν μηδ' ἀδίκως
κρίνειν, ἢ νὴ τὸν φίλιον (Ζῆνα)
μῦθον εἰς ὑμᾶς ἕτερον
Φερεκράτης λέξει πολὺ τού-
του κακηγορίστερον (2).

Illa nos de antiquorum in re scenica moribus nonnihil docent. — Quis nescit Terentium pæne de eadem fortuna queri ?

In his quas primum Cæcilii dedi nouas
Partim sum earum exactus, partim uix steti.
. . . .
Primo actu placeo, quum interea rumor uenit,
Datum iri gladiatores ; populus conuolat ;
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco ;
Ego interea meum non potui tutari locum.
. . . .
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium suum et se in uestram commisit fidem
Ne eum circumuentum inique iniqui irrideant (3).

Tum in *Phormionis* prologo :

Ne simili utamur fortuna atque usi sumus,
Quum per tumultum noster grex motus loco 'st,
Quem actoris uirtus nobis restituit locum
Bonitasque uestra adiutans atque æquanimitas.

(1) *Ecclesiaz.* u. 1154-1163.
(2) In Κραπατάλοις, apud Meinecke, fr. XVI.
(3) In *Hecyra*.

In *Adelphis :*

> ... facite æquanimitas
> Poetæ ad scribendum augeat industriam.
> (In *Prol.* 24).

Plautus ipse aiebat :

> Quodque ad ludorum curatores adtinet,
> Ne palma detur quoiquam artifici iniuria.
> (In *Penulo*, 36-37).
>
> ... Uos æquo animo gnoscite.
> (*Ibid.*, 123).

Eodem animo Gringorius « stultos » omnigenas accire gestiens : « Uos, misellæ lingulacæ, quæ uiris familiariter utimini, uos bene moratas et benignas præstite » (1).

3° Aristophanes, in anapæstis defendit se non scurram esse, sed uerum poetam, et Phœbo, ut ait Uirgilius, digna loquentem, comœdiamque semper *ad bonam aliquam frugem* spectare. In *Acharnensium* parabasi sui ipsius præconium instituit : profitetur se patriam ludibrio non habere, multis autem bonis eamdem auxisse, populumque stolida credulitate ac superbia purgauisse ; addit se publicorum morum correctorem esse, futurarum uictoriarum adiutorem, omnis boni consilii auctorem (2), nec ullis nisi iustitiæ armis un-

(1) *Cri* de la *Sotie du prince des sots* :

> Sottes qui êtes aux hommes familières
> Montrer vous fault douces et cordiales.

(2) Credulitate ipsa hic utitur poeta quam ipse populo crimini uertit ; illa iocandi tantum causa dicta esse, indicat uersuum 109-114 color forsitan consentaneus.

quam usurum. In *Equitum* parabasi monet se non nugas effutire (1), sed quod iustum est, generosa audacia declarare (2). In *Nubibus*, modestissimis moribus præditam extollit comœdiam suam quæ non pudendam imaginem, ut pueris risus eliceret, protulerit, nec cordacem saltauerit, sed altius spirans paulatim progressa sit (3).

Ludenti strenuum dicas inesse ueritatis amorem :

> Ὦ θεώμενοι, κατερῶ πρὸς ὑμᾶς ἐλευθέρως
> τἀληθῆ, νὴ τὸν Διόνυσον τὸν ἐκθρέψαντά με (4).

Placere debet, si quod sincerum est populus amat :

> Νῦν αὖτε λεῴ πρόσχετε τὸν νοῦν, εἴπερ καθαρόν τι φιλεῖτε (5).

Nugas et ineptias repudiauit :

> Τοιαῦτ' ἀφελὼν κακὰ καὶ φόρτον καὶ βωμολοχεύματ' ἀγεννῆ,
> ἐποίησε τέχνην μεγάλην ἡμῖν κἀπύργωσ' οἰκοδομήσας
> ἔπεσιν μεγάλοις καὶ διανοίαις καὶ σκώμμασιν οὐκ ἀγοραίοις (6).

Sic Plautus se ipse commendat :

> Inest lepos ludusque in hac comœdia. (7)

> Profecto expediet fabulæ huic operam dare.
> Non pertractate facta est, neque item ut ceteræ ;
> Neque spurcidici insunt uersus immemorabileis ;
> Heic neque periurus leno est, nec meretrix mala,
> Neque miles gloriosus... (8).

(1) φλυαρεῖν (u. 545).
(2) u. 510.
(3) u. 537-543.
(4) In *Nub.*, u. 518.
(5) In *Uesp.*, u. 1015.
(6) In *Pace* et fere omnibus parabaseos anapæstis ; uid. etiam *Ranas*, 686, et *Ecclesiaz.* 1155.
(7) In *Asinaria*, u. 13.
(8) In *Captiuis*, u. 54-59.

Ipse Terentius græco se poetæ aliquatenus similem præbet :

> Si quisquam est qui placere se studeat *bonis*
> *Quam plurimis* et minime multos lædere
> In his poeta hic nomen profitetur suum (1).

et in *Hecyra :*

> Si nunquam auare pretium statui arti meæ
> Et eum esse quæstum in animum induxi maximum
> Quam maxime seruire uestris commodis (2).

Quid ? nonne Rabelaisius se Socrati ipsi ait simillimum esse, qui rustici, insulsi ac ridiculi hominis speciem præ se gerit, intus autem omnium uirtutum quasi medullam recondit ? Ubi autem illa, nisi in prologo ? Nonne Fontanius, comicis sæpe annumerandus, præfationem scripsit qua se in commenticiarum rerum blanditiis non immorari sed plurimam frugem apologos legenti afferre uelle nos præmoneret ? (3) Ubinam Molerius, nisi in præfatione, dixit illud esse comœdiæ propositum ut inscios homines delectando castigaret et emendaret ?

4° In eadem parabaseos parte Aristophanes de diffi-

(1) In *Eunuch. prol.* 1.

(2) In prol. 49.

(3) Confer etiam, e gallico nostro theatro, prologum fabulæ illius cui titulus. « *C'est li jus de Saint-Nicholai* » auctore Jean Bodel, et « *Le chevalier qui donna sa femme au diable* » (Violet-le-Duc, ancien théâtre français, t. III). Nonnunquam declarat « prædicator » ille, actores nihil contra Fidem. contra Deum aut contra leges dicturos esse. (*Moralité du bien Aduisé et du mal Aduisé*).

cultate artis comicæ et de tirocinio a se suscepto loquitur :

. . . . . νομίζων
κωμῳδοδιδασκαλίαν εἶναι χαλεπώτατον ἔργον ἁπάντων
. . . . . ἔφασκεν
ἐρέτην χρῆναι πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν
κᾆτ' ἐντεῦθεν πρωρατεῦσαι καὶ τοὺς ἀνέμους διαθρῆσαι
κᾆτα κυβερνᾶν αὐτὸν ἑαυτῷ. . . (1).

Plebi se uenditat, qui non eam decipere uelit, sed aliqua noua fabula delectare eiusque fastidia uincere (2) :

Κἀγὼ μὲν τοιοῦτος ἀνὴρ ὢν ποιητὴς οὐ κομῶ,
οὐδ' ὑμᾶς ζητῶ 'ξαπατᾶν δὶς καὶ τρὶς ταὔτ' εἰσάγων,
ἀλλ' ἀεὶ καινὰς ἰδέας εἰσφέρων σοφίζομαι,
οὐδὲν ἀλλήλαισιν ὁμοίας καὶ πάσας δεξιάς.

Adsentationem etiam et blandimenta adhibet ut tanti operis iudices ad se alliciat ; eos enim uocat :

. . . παντοίας ἤδη μούσης
πειραθέντες καθ' ἑαυτούς (3).

Quod non omittit Plautus, de moribus quidem, non de rei litterariæ prudentia et intelligentia loquens :

Idcirco moneo uos ego hæc, qui estis boni,
Quique ætatem agitis cum pietate et cum fide,
Retinete porro (4).

Nonne illa omnia proœmii eamdem significationem,

(1) In *Equit.*, u. 515-516 ; 541-544.
Non multo secus Terentius :

Quia scibam dubiam fortunam esse scenicam,
Spe incerta, certum mihi laborem sustuli.
(In *Hecyr.*, prol. 16-17).

(2) In *Nubibus*, 545-549.
(3) In *Equit.*, 505.
(4) In *Rudentis* prol. 28-39.

eumdemque colorem habent ? Nonne scriptoribus hic mos fuit omnibus, studia quibus prius indulserint semper in præfatione exponendi et se lectori uenditandi ?

5° Audientibus etiam, concionanti similis, *bene precatur Aristophanes.* Priores comici, ut arbitror, ficta ipsa chori specie utebantur, ut populo spem aliquam prælucere facerent, eius animum quamprimum obstringerent, eique religionem aliquam iniicerent, magnam sui opinionem et exspectationem commouentes. *Nubes* aiunt se, si benignus fuerit populus, omnia cœli beneficia, ineunte uere, in agros plaudentium esse collaturas ; si autem a mortali quodam contemptæ fuerint, eius uineta et olineta domumque ipsam exitio daturas (1). Ita plautinus ille Mercurius apud romanos spectatores, actuosos, ad familiares rationes libenter animum reuocantes et rei nummariæ potissime attentos, de « mercimoniis emundis uendundisque » uerba facit, et se auditores « bono atque amplo et perpetuo lucro », peregre ac domi, aucturum pollicetur, si agentibus æquam mentem silendo præstiterint (2). Talia hæc quilibet optimi exordii exemplum esse fateatur, quum uterque poeta audientium mores penitus noscat eisque, ad præparandam beneuolentiam, apte sese accommodet. Non alio consilio lari familiari in *Aulularia* et Arcturo in *Rudente* (3) prologi agendas partes poeta demandauit.

(1) 1115-39.
(2) S. 39 (*Amphitr.*).
(3) Uid. præsertim *uers.* 1639.

Aliquid simile et apud nos inuenimus, cum eadem sit ubique hominum natura, idem animus, eadem ad religionem indoles. Exstat enim fabula in qua prima dicitur : « ei bene opto qui sedens sedebit, deumque precor ut illius qui placidus remanserit, absoluat peccata » (1).

6e Non fieri denique poterat quin poeta multam in se conflaret *inuidiam;* contentiones et odia suscitabant, quum ipse uatum animus per se in iram præceps et ciuitatis instituta ius æquum cuique concedentia, et ipsa scænicorum ludorum ratio quæ poetas quasi iusta acie concurrere iubebat, tum ipsius comœdiæ ingenium quæ, multis et illatis et acceptis uulneribus, negotia uirosque publicos suæ dicionis esse arbitrabatur. Quæ ultio de Eupolide in mulierarios istos Athenarum trossulos nimis acri sumpta sit noscimus: arreptum poetam et in fluctibus ita demersum ut spiritus ei pæne intercluderetur, Alcibiades ridebat : « tinge me in theatro iniuriis tuis ; ueram ego tibi in æquoreis salibus lauationem largiar : βάπτε με σὺ θυμέλαις, ἐγὼ δέ σε ἁλμυροῖς ὕδασι καταχλύσω. Uerba illa *Acharnensium* parabasi inserta :

> Πρὸς ταῦτα Κλέων καὶ παλαμάσθω
> καὶ πᾶν ἐπ' ἐμοὶ τεκταινέσθω (2),

singulare aliud certamen indicant cuius uices non ab omni parte nobis notæ sunt. Ex aliis locis constat non eum fuisse Aristophanem qui leuibus armis aut

(1) Mistère de Saint-Étienne (*In libr. præcit.*)
(2) 659-660.

eminus pugnaret, sed nudo gladio rem gereret : Κλέον' ἔπαισ', ait, εἰς τὴν γαστέρα (1). Collato pede belluam istam aggreditur horrendam quæ « oculos Cynnæ, uocem gurgitis, odorem phocæ, illotos Lamiæ coleos et culum cameli habebat (2). » Eiusmodi tela in uarios coniecta ut Cephisodemum causidicum (3), Charminum et Cleophonem moribus perditos (4), non hic referre necesse est. Nullus autem locus inimicos suos repellendi aut insectandi, præter ipsa fabulæ carmina, poetæ opportunitatem dabat.

Terentius in re tantum litteraria semper uersatur, nec tantas alit inimicitias ; omnibus tamen notum est illum prologos scripsisse ut « ueteris maleuoli poetæ maledictis responderet », et artem suam uel græco e fonte nimis desumptam, uel minimi pretii habitam, a fraudis suspicione defenderet (5). Trahitur in longum duellus, et poeta, uocem interdum tollens, hostem, lacessitus et ipse, lacessit :

Uetus si poeta non lacessisset prior,
Nullum inuenire prologum posset nouus
Quem diceret, nisi haberet cui malediceret.

Sic Racinius non semel *Britannico* suo præfationem addidit, quæ senescentis poetæ fautoribus acriter resisteret inuidiamque in se coortam dissolueret.

(1) In *Nub.* 549.
(2) In *Uespis*, 1038-1036,
(3) In *Acharn.* 705.
(4) In *Thesmoph.* 804, 59.
(5) In *Phorm.* 5 ; *Adelph.* 15 ; *Heautont.* 15, 39 ; *Eunuch.* 8, etc.

Illud ergo satis compertum habemus : quidquid in anapæstis legitur eis simillimum esse quæ quum in latinæ aut gallicæ olim comœdiæ prologis, tum in præfationihus et « præmonitis » omnium scriptorum inuenimus. Talibus procemiis usam esse comœdiam uerisimile est, eo consilio ut expeditam ac bene munitam uiam ad spectantium animos sibi aperiret. Hodie quidem prologi minime utiles (nisi delectandi causa) fierent, quia uidelicet humanior artis comicæ habitus quotidianusque usus populi sensum pæne hebetauit et exsurdauit ; illud autem cogitatione repetamus tempus quo poeta in nouæ artis angustiis laborabat. Terram, ait Uirgilius,

..... terram multo ante memento
Excoquere et magnos scrobibus concidere montes,
Quem lætum infodias uitis genus !...

Atticos huius modi præcepti non immemores fuisse mihi persuadeo, antequam fabulam agerent, et plenis, ut ita dicam, spumaret comœdia labris. — Cur autem prologi illi e capite operis detracti sunt ut in medio interpositi includeredtur ? Quando hæc facta est mutatio ? Quam ob causam sine totius operis detrimento fieri potuit ? Hæc paucis exponenda sunt.

Fuit tempus quo iam spectata et uictoriis elata comœdia, satis magna apud Athenienses auctoritate ualebat et docili utebatur populo. Poetæ nihil aliud in prologis dicendum remansit quam quod seu de publicis negotiis seu de priuatis inimicitiis, seu de ipsa arte cordi haberet. Cantica autem interludii uices, ut in

tragœdiæ, explentia, aptissimum ei dabant locum ut dulcia et utilia pari grauitate consociaret atque augeret. In canticis enim deorum præconium agebatur ; ibi fons et caput artis, ibi religionis uis semper erat. Chorus enim, publico fungens officio, omnium uenerationem simul et admirationem mouebat ; testimonio sit illa contra Midiam actio, in qua Demosthenes ait choregum ceteris summis reipublicæ magistratibus similem esse, nec a quolibet uiolari posse quin et tota ciuitas et leges et deorum maiestas iniuria simul afficiantur (1). Quidquid ergo canticis addebatur, peculiarem aliquam significationem habebat et in amplissimo dignitatis gradu enitebat. Itaque canticorum tutelam prologis suis poeta dedit ; non iam in limine, sed in templi quasi cella collocauit anapæstos. « Res hoc postulat, ait Cicero (2), ut eorum exspectationi qui audiunt quam celerrime succurratur ; cui si initio satis factum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. » Illi autem qui in cuneis sedebent, risus præsertim et ludos exspectabant. Quibus primum lenocinatur poeta ; eosdem posterius, comœdiæ salibus allectos uel potius laqueis irretitos grauiter monere et edocere curat. Duci, uno uerbo, se similem præbuit Aristophanes qui mutatis temporibus belli rationem mutat, optimosque suos milites non in fronte, sed in aptissima medii exercitus sede statuit, ita ut, adhibito dolo aut

(1) Uid. *Præsertim*, § 16, 32, 56, 70.
(2) De orat. II.

collatis per leuem armaturam signis, tanquam firmissimum præsidium submittantur et confertis ordinibus rem gerentes hostem facilius profligent.

Miramur uersus in fabula recitari posse qui cum reliquis actionis partibus nihil commune habeant et in quibus fiat ad spectatores oratiuncula ; quæ autem uera sit comicæ artis indoles animo nostro ne excidat. Tragœdia, a rerum ciuilium commemoratione maxime abhorrens, imo ipsa præsentis uitæ obliuione freta, mores depingit ab heroicis temporibus desumptos, speciemque artis amplectitur mente, non uulgari hoc sensu, comprehensam, undique expletam et absolutam. Comœdia uero publica negotia ut prouinciam sibi cum imperio decretam obtinet ; e communis uitæ quasi exundantis tumultu orta est, eoque, etsi latius euagetur ut maxima portenta depingat, libentissime recurrit. Rebus nempe ciuilibus, sicut ignis materia, semper alitur. Si anapæstos miraris, totam fabulam mirari debes, quum permultis in locis spectatores Aristophanes adpellet, moneat, hortetur, irrideat, testes ludicræ actionis adhibeat, in scænam quasi prodire cogat : Δευρὶ βλέπε, ait Demosthenes isiciario, Athenienses manu indicans ;

τὰς στίχας ὁρᾷς τὰς τῶνδε τῶν λαῶν·,

Isiciarius

Ὁρῶ.

Demosthenes

Τούτων ἁπάντων αὐτὸς ἀρχέλας ἔσει,
καὶ τῆς ἀγορᾶς καὶ τῶν λιμένων καὶ τῆς πυκνός·

βουλὴν πατήσεις καὶ στρατηγοὺς κλαστάσεις,
δήσεις, φυλάξεις, ἐν πρυτανείῳ λαικάσει (1).

Quæ quum iterum lego, dialogum non inter Demosthenem et isiciarium, sed inter poetam ipsamque comœdiam esse fingo, quæ ἀργέλαος iure dici possit. Dies me deficiat si omnes huiusmodi locos recensere uelim (2). Ipse Eupolis, assentatoris et parasiti describens imaginem, spectatores alloquitur (3) (πρὸς ὑμᾶς λέξομεν, ait), aut de choregi auaritia aperte queritur (4). Ita apud Aristophanem, choryphæus Antimachum choregum scurrilibus conuiciis persequitur, a quo incœnatus dimissus fuerit (5).

(τοῦτον).....
ὡς μὲν ἁπλῷ λόγῳ κακῶς ἐξολέσειεν ὁ Ζεύς·
ὅςγ'ἐμὲ τὸν τλήμονα Λήναια χορηγῶν ἀπέλυσ' ἄδειπνον.

Eamdem apud Plautum libertatem sæpissime inuenimus. Ita in *Mostellaria*, ad spectatores uersus, moratur (6) :

(1) in *Equit.*, 163.

(2) uid. *Equit.*, 228, 223, 1210. *Acharn.*, 377 sq., 491 sq. *Aues*: 30 sq, 59, 151, 153, 59, 168, 480, sq. 284, 289, 290, 363, 639, 445, sq. 521, *Uespas*: 54 sq,, etc., etc. — Cf. Pherecratem in Κραπατάλοις (frag, XVI et XVII apud Meinecke), Cratinum (ex incertis fabulis frag. CLV, *ibid.*)

(3) Κόλακες, I. Cf. etiam Πόλεις frag. XXX,

(4) Ex incertis fabulis, apud Mein. VII, 1.

(5) In *Ach.* 1150-1172.

(6) III, 3, 280 sq.

... Maximaque adeo pars uestrum intellegit,
Quibus anus domi sunt uxores quae uos dote meruerint.

et in eadem fabula.

Atque, pol, nescio ut moribus sient
Uostrae (*uxores*): haec sat scio quam me habeat male (1).

Usus ille spectatores alloquendi in comœdias nostras, ut tot alia, transiit. Cuilibet notissimus est *Extemporalis ille in Uersaliis ludus* (2), ubi Molierus æqualium mores in ludibrium nominatim uertit, et, histriones proprii sui gregis producens, nihil difficilius esse ait quam segne illud pecus regere aut e grauissimis spectatoribus risum elicere. Totum illud opusculum parabaseos speciem habet, et comœdiæ ingenio utique est accommodatum.

Nihil ergo insolentius quod admirationem nostram moueat anapæstis inest. Quid plura ? Etsi κατὰ σχέσιν minime sint scripti, tamen melicarum partium uirtutem aliquatenus in se agnoscendam retinent, uel eo quod si partes æque dimensas non habent nec eumdem semper uersuum numerum (ut Christo placuit qui in *Acharnen-*

(1) III, 2. 698 sq. — Cf. *Stichum* (I, 3, 218) in quo parasita Gelasinus, se ipsum spectatoribus uenalem offert; *ibid.* V, 4, 696 sq. ubi Sagarinus seruus poculum tibicini, in scæna ipsa stanti profert : « *Bibe, tibicen*, etc. »; *Cistellariam* I, 3 ; *Penulum* III, 2. 594-596, et IV, 2, 921 ; *Pseudolum*, I, 576-588; *Menechmos*, V, 3, 862-867, *Casinam* III, 5, 644, etc., etc.

(2) *L'Impromptu de Versailles.*

sibus et in *Pace* paritatem uidit), tamen extra certos fines non multum euagantur, et modicum aliquid seruant. Adde « commatium » illud ut præcedentibus religarentur, inuentum esse : tum anapæstorum ratio et fortuna fiet, non aperta quidem et pellucida, sed ea quæ animo nostro facillime concipiatur.

CONCLUSIO

Parabasis ergo partibus constat origine diuersissimis quæ non eodem tempore in unum conuenerunt : melicæ partes primum, epirrhemata haud multo post, anapæsti postremo, quum fabulæ absolutæ formam ars comica sibi sumpsit, apparuere ; illi proœmium prius, deinde interludium fuerunt. Omnium cantus princeps fuit et moderator, plurimumque in informanda ceterarum partium compositione ualuit. Lyricæ omnis poeseos stirps ac semen penes populum est ; ars præsertim comica e rusticorum moribus ac cantibus uelut flos e stercorata terra exiit. Si totius operis formam et originem repetere uelis, musica in primo dignitatis gradu reponenda est, cuisque ubilibet innatæ leges pro certissimo principio habendæ.

Eis qui parabasim parui faciunt minime est assentiendum. Si enim respicimus quantum decus et quantam uim fabulæ adderet illa cantus, recitationis et saltationis societas, ea grauitas chori per mediam actionem incedentis consensusque uocum patrios deos laudantium, acutissima illa de priuatis et publicis negotiis

orta oratio, quum ordo pulcherrimus earum partium, tum motus, uarietas et amplitudo totius spectaculi oculos simul et mentes malignas allicientis, parabasis atticæ quasi culmen comœdiæ nobis apparet, nescio qua magnitudine eminens ac præfulgens, digna profecto quæ populum penitus commoueret.

Quanti pretii æstimanda sit, illud etiam ostendit quod eamdem fere fortunam quam ipsa comœdia et ipsæ Athenæ habuerit. Nihil summa libertate magis precarium ac fluxum est ; non meum fuit tempora computare et historiam parabaseos adumbrare ; diuisiones autem quibus plurimi (1) iam usi sunt, finiendo resumam.

Antiqua comœdia, « phallicorum » ebrietate acta, lacertis mehercule non minus quam alis conspicua, incessu pugnatorio, instituta et uiros atrociter inuadens, sales, conuicia et fæcem non modio uel trimodio sed ipso horreo demensos largitur. In *Acharnensibus,* in *Equitibus*, in *Nubibus*, in *Uespis*, in *Auibus*, in *Pace*, exardescit iuuenilis et procax illa audacia quæ belli amantes, publicos assentores, sophistas, litigatores, non furtim et obiter sed consulto et palam insectatur ; his inest, ut ait Aristoteles αἰσχρολογία per fas et nefas prolapsa, Musaque illa plebeia, omnibus corruptelæ floribus quasi insidens, res turpissimas uocabulis designat, gestibus demonstrat, uituperatione ipsa extollit :

(1) uid. Westphalem, *Prolegomena zu Æschylus*, (p. 39-40) Gevaërt, (*De græcorum musica*, II, p. 551), Maurice Croiset (loc. cit. 497).

in his etiam uiget quæ τελεία dicta est parabasis ; imo plures sunt aut uidentur esse. Malignitas enim eius amni similis est qui pleno alueo, apertis campis, defluit, et super ripas suas perfunditur.

Mox, etsi principes ciuitatis auctoresque publici consilii maledictis sæpe oneret, res ciuiles uidetur litterariis posthabere Aristophanes, et poetis præsertim bellum indicit : trunca et mutila fit parabasis ; tum epirrhemata, tum cantica desunt ; anapæsti sunt nulli (1).

Periit autem libertas ; e ueteris gloriæ gradu deiectæ sunt Athenæ ; instituta et deorum cultus in ancipiti loco uersantur : tum in humaniore artis ratione acquiescit comœdia ; inhærentia uitia situmque excutiens, prioribus istis moribus, ut ita dicam, defæcata, honestiora e communi omnium uita sumit argumenta, dum castæ mulieri similis fiat, et nihil nisi poeta uere dignum ex ore suo proferat : euanuit omnino parabasis. (2)

(1) in *Lysistr. Thesmophor.* et *Ranis.*
(2) in *Ecclesiaz.* et in *Pluto.*

FINIS

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. XIV. Kal. nov. anni MDCCCXCIII

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. HIMLY.

Typis mandetur
Academiæ Pariensis Rector,
GRÉARD.

Imp. Gust. FISCHLIN, 8, Grand'Place. Saint-Quentin.